4
34 – 114

R-12274

# JESVS, MARIA,

BASILIVS, IN NOMINE DOMINI.

AMEN.

Es dela Libreria del N. P. S. Basilio de Granada

CONSTITVTIONES

# MONACHORVM

ORDINIS S.P.N.BASILII MAGNI,

INHISPANIARVMPROVINCIIS

APOSTOLICA AVTHORITATE

EDITÆ

PER RR. PATREM

*D. THEOPHILVM PIRRO,*

*S.T.M. totius eiuſdem Ordinis Abbatem Generalem perpetuum, Commiſſarium, & Viſitatorem Apoſtolicum,*

A SANCTISSIMO DOM. NOSTRO

# ALEXANDROPP.VII.

CONFIRMATÆ.

Anno Domini 1667. Die 4. Maij.

Hiſpali. *Apud Ioannem Franciſcum de Blas eiuſdem Ciuitatis Maiorem Typographum.*

Biblioteca Universitaria GRANADA
Sala A
Estante 36
Número 230

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

IESVS MARIA,

BASILIVS, IN NOMINE DOMINI.

AMEN.

CONSTITVTIONES

# MONACHORVM

ORDINIS S. P. N. BASILII MAGNI,

[illegible] PROVINCIÆ

[illegible] AVCTORITATE

[illegible]

PER R. PATREM

[illegible]

A SANCTISSIMO D. NOSTRO

# ALEXANDRO P. VII.

CONFIRMATA.

Anno Domini 1667. Die 4. Maij.

[illegible]

# D. THEOPHILVS PIRRO
## SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTER,
Abbas perpetuus S. Nicandri, Regius Conſiliarius, Sanctæ, & Apoſtolicę Sedis gratia Abbas Generalis, Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus totius Ordinis S. P. N. Baſilij.

*Dilectis nobis in Chriſto Filijs Vicario Generali, Abbatibus Provincialibus, Diffinitoribus, Abbatibus, Magiſtris, reliquiſque Monachis, præſentibus, & futuris eiuſdem Ordinis in Hiſpaniarum Provincijs, ſalutem in Domino ſempiternam, & noſtram benedictionem.*

IMPOSITI muneris pondus, id pro debito Paſtoralis officij, atq; dignitatis expoſcit, vt ſuper bono totius gregis, ſibi commiſſi, Prælatus inceſſanter invigilet. Ideò, dilectiſſimi filij, poſtquam Religionis noſtræ (meritis licèt imparibus) Abbas Generalis, motu proprio Sanctiſsimi Domini noſtri Alexandri Papæ Septimi, & Commiſſarius, & Viſi-

tator

tator Apoſtolicus, præpoſitus fui ſolicitudinem mei officij, meque ipſum in ſalutem omnium veſtrum, quibus præſideo referre, & ordinare, decreui. Pręcipuè verò, regularem diſciplinam (vtpotè, aliqua ex parte, vna cum tempore collabentem) ſuſtinere, & quãtum potui propalare ſtudui: moreſque omnium ad Regulę, quam profitemur principium, & Obſeruantiam adducere. Ad hæc autem conſequenda præ cœteris opportunũ, magiſque iudicaui neceſſarium, leges, & Conſtitutiones, quæ ab antiquo à vobis ſervatæ fuerè, necnon decreta aliqua ad illas addita, matura ſatis conſideratione reuiſere, ac diligenter examinare. Et, quia nõnunquam ex cauſa expedit, pro veritate temporis, humanarum legum, & ſtatutorum aliquid immutare, vt felicis recordationis Innocentius PP. III. cum approbatione Concilij Lateranenſis alia inter decreta ſanciuit, cuius verba in promptu ſunt. *Non debet reprehenſibile iudicari, ſi ſecundum varietatem temporum, ſtatuta quandoque varientur humana præſertim, cum vrgens neceſſitas, vel euidens vtilitas id expoſcit: quoniam ipſe Deus, ex eis etiam, quæ in veteri Teſtamento ſtatuerat,*

*Cap. non debet, de conſanguin. & affinit. 8.*

rat,

*rat, nonnulla mutauit in nouo.* Ideò, antiquas præfatas Conſtitutiones innouandas, mutandas, ac reformandas, haſq; de nouo ędendas (de plurimum tamen Venerabilium Patrum conſilio) aſſumpſi: Quatenus accedente, tot Prelatorum, grauiumq; virorum oculata prouidentia, nouæ huiuſmodi leges, non modo nitidiores, ſed etiam ſtatui noſtro congrentiores prodirent. Id ſanè reſtat, vt quod votis, ac deſiderijs ardenter aliquando concupiſtis, nunc id operibus exequamini. Sic enim, antiquus noſter Ordo, decore, & ſplendore ſibi debito, coruſcabit; & vos in agro Domini vberes fructus (ipſo iuvante) & cooperante maiorum veſtrorum exemplo ædetis. Nec verò, cuiquam veſtrum aliqualis timor incutiat, hiſce Conſtitutionibus, & novis legibus àggrauari cum potius illis, veluti quibuſdam pennis primitivæ Regulæ molles, non minus quam per antiquas animato pondere, ſubleuetur. Quando etenim, noua Statuta, pro faciliori veteris legis executione conduntur: non velut grauia, quinimo, vt ponderoſum ſuaue facientia obligationis onus, hilari animo excipienda ſunt. Doctrina ex Angelici Doctoris expreſſa, quicumquæret, vtrum,

les

lex nova ſit gravior, quam antiqua? Cumque pro parte affirmatiua tertio ſibi obieciſſet, ex ex eo quod ſupra legem antiquam lex noua addiderit plura, ſic reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod illę additiones ad præcepta veteris legis, ad hoc ordinabantur, vt facilius impleatur, quod vetus lex mandabat, ſicut Auguſtinus ait. Et ideo, per hoc non attenditur, quod noua lex ſit grauior, ſed potius, quod ſit facilior.* Hæc Divus Thomas. Quapropter ingenti hoc oppignorati favore, Conſtitutiones prædictas velut ê Cœlo miſſas (non quatenus per me conditę; ſed quoniam, & Apoſtolica authoritate, & veſtro deſiderio, & tot, vt dixi, venerabilium Patrum conſilio, diuino inſuper Numine ſuffragante ſtabilitæ ſunt) prompto, & libenti animo ſuſcipiatis, ametis, & colatis, &, quod præcipuũ eſt, obſeruetis: Amor enim, & legum præſtantiſsimus cultus, in illarum Obſeruantia, vt Sacra loquitur Scriptura, conſiſtit. Faxit Deus: vt ſic adimpleatis, & tanquam ſpirituales harum legum amatores, nō ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gratia conſtituti, coronam gloriæ, quam facientibus, quod in ſe eſt Dominus repromiſit impetretis. Matriti poſtridie Kal. Auguſti 1665.

LIT-

# LITERÆ
# APOSTOLICAE
## ALEXANDRI PP. VII.
### IN FORMA BREVIS,

*Super deputatione Reuerendiſsimi in Chriſto PATRIS D. THEOPHILI PIRRO, Abbatis Generalis, in Commiſſarium, Viſitatorem, & Correctorem totius Ordinis S. Baſilij Magni.*

DILECTO FILIO THEOPHILO Pirro, Monachorum Ordinis S. Baſilij Abbati Generali.

## ALEXANDER PP. VII.

Dilecte fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CVM vt incumbenti tibi muneri ſatisfacias, viſitationem tui Ordinis Monachorum S. Baſilij, Deo benedicente, facere intendas: Nos vt huiuſ-

modi viſitationis munus ad Dei gloriam, & eiuſdem Ordinis propagationem fœliciùs adimplere valeas, te ſpecialibus fauoribus proſequi volentes, tibi vltra tuas ordinarias facultates, vt etiam tanquam Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus vniuerſum Ordinē prædictum S. Baſilij, eiuſque domos, Conuentus, Monaſteria, & loca quæcumque, tā virorum, quam mulierum, in quibuſcumq; Regnis, Prouincijs, & Dominijs conſiſtentia viſitare, ac in eorum ſingulorum vitam, ritus, mores, inſtituta, regulas, & ſtatuta diligenter inquirere, ac tam in capite, quam in membris corrigere, & reformare neceſſarias, & opportunas, dummodo Sacri Concilij Tridentini Decretis, & Sacris Canonibus, ac eiuſdem Ordinis Regularibus inſtitutis ſint conformes, condere, & obſeruari mandare, antiquas verô per quoſcumque in quibuſcumque locis conditas maturè conſiderare, eaſque ſi præfati Ordinis Regulis, & Conſtitutionibus contrarias, & præiudiciales eſſe repereris caſſare, & annullare, ac alia omnia, & ſingula, quæ pro dicta reformatione neceſſaria fore iudicaueris, prędicti Ordinis Re-

gulis,

gulis,& Conſtitutionibus inhærendo,ſtatuere,ordinare,facere,& exequi,liberè, & licitè poſsis,& valeas,facultatem authoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus,& Ordinationibus Apoſtolicis,ac eiuſdem ordinis,& quarumcumque eius domorum,etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſq;contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem,ſub annulo Piſcatoris,die vj.Februarij M. DC.LIV. Pontificatus noſtri anno nono.

S. Vgolinus.

# ALEXANDER
## PAPA VII.

*Ad perpetuam Rei memoriam.*

DEbitum Paſtoralis Officij, quo Eccleſiæ Catholicæ regimini diuina diſpoſitione præſidemus, poſtulat, vt paternam Religioſorum virorum altiſsimi obſequijs ſub ſuaui vitæ Monaſticæ iugo mancipatorum, curã gerẽtes, illa, quæ fœlici, proſpero que eorum regimine, & gubernio, Obſeruantiæ, & diſciplinæ Regularis conſeruatione, & incremento piæ prudenterq; conſtituta, & ordinata eſſe noſcuntur, quo firmiùs ſubſiſtant, & ſeruẽtur exactiùs, Apoſtolici muniminis patrocinio roboremus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit Dilectus Filius Theophilus Pirrus Abbas Generalis Ordinis Sancti Baſilij Magni, quod cum ipſe Monaſteria Prouinciarum Bœthicæ, & Caſtellæ dicti Ordinis in Regnis Hiſpaniarum conſiſtentia vigore facultatis ſibi deſuper à nobis conceſſe viſitauerit, in eaq; Viſitatione ad conſeruandum, & promouendum

Regu-

Regularis Obſeruantiæ bonum, firmandamque, & ſolidiùs ſtabiliendam inter Religioſos pacem, atque amabilem animorum concordiam neceſſariam eſſe compererit. Conſtitutiones dudum pro eiſdem Prouincijs æditas, & à fœlicis Recordationis Paulo PP. Quinto Prædeceſſore noſtro cõfirmatas, necnon additiones, quæ ad ipſas Conſtitutiones ſub inde factę fuerunt, examinari; vt id maturiori, prudentiorique conſilio atque diſcuſsione fieret, Dietam Generalem in Monaſterium Sancti Baſilij eiuſdem Ordinis Oppidi Matriti Toletanæ Diœceſis conuocauit, vbi Conſtitutiones, & additiones huiuſmodi vnanimi omninm Vocalium eiuſdem Dietæ conſilio diſcuſſæ fuerunt; ipſeque Theophilus Abbas Generalis in vim facultatis ſibi à nobis attributæ, ſublatis illis, quas recto gubernio officere cognouit, additiſque alijs Obſeruantię Regularis incremento, ac quieti communi conducentibus; nouas Conſtitutiones pro prædictis Prouincijs condidit, quę publicatæ, & ab omnibus receptæ, & acceptatę fuerunt. Quæ quidem nouæ Conſtitutiones per nonnullos dilectos

filios

10

filios Romanę Curiæ Prælatos, ad eas recognoſcendas à nobis ſpecialiter deputatos ſigillatim perlectæ, ac ſedulo examinatæ, & vbi opus fuit aptatæ, & emendatę ſunt tenoris qui ſequitur, videlicet. In Nomine Domini. Amen.

DE-

# DECRETA,

## SEV CONSTITVTIONES Monachorum Ordinis S.P.N. Baſilij Magni in Prouincijs Hiſpaniarum, tàm ad vniuerſale Regimen, quàm ad Diuinum cultum, morum reformationem, & diſciplinę Regularis Obſeruantiam ſpectantes.

## PARS PRIMA.

*De ijs, quæ ad vniuerſale regimen pertinent.*

### CAPVT I.

*De Capitulo celebrando.*

1 CApitulum Prouinciale, tertio quoque anno, perpetuò futuris temporibus in vnaquaque Prouincia celebrari mandamus. In Prouincia Caſtellæ, Sabbato Dominicæ ſecundæ poſt feſtum Reſurrectionis, & in Prouincia Bœthica Vigilia Pentecoſtes. Prædictis igitur diebus, can-

*Seſſ 24. de reformat. c 2. c. Propter, cum ſeq 18. diſt.*

tata Miſſa, vt moris eſt, ad implorandum Spiritus Sancti auxilium; celebraturi Capitulum ad ſonum campanulæ in locum deputatum conueniant. Ibi omnibus pro ſuo ordine ſedentibus, ante omnia Dei debent implorare fauorem, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum. Fiet oratio, non mentalis ſolùm, ſed etiam vocalis, prout Superiori expedire videbitur.

2 Deindè à Superiore, ſiuè ab alio, qui ad id munus iudicetur idoneus, habebitur ſermo, ſiuè exhortatio ad Patres, qui Capitulo debent intereſſe: vt ea omnia ab eorũ cordibus longè fiant, quæ rei tanti momenti, & electioni, quę facienda eſt, eſſe poſſunt impedimento: vt electio quæcumque, non ab ipſis principaliter, ſed à Spiritu Sancto eorum voluntates regente, & mouente, facta eſſe cenſeatur. Quod quidem tunc dignè fiet, ſi vniuſcuiuſque eorum ad id tendat intentio, vt ij tantum eligantur, qui ſecundum Sacros Canones, ac potiſsimum Sacri Generalis Concilij Tridentini, & Regulam S.P.N. Baſilij Magni, ætate, merito vitæ, doctrina, & prudentia idonei iudicati fuerint. *De*

*C. Per inquiſitionem, de elect. 26.*

*Conci. Later. c. 3. c. Cum in cunctis, de electon. 7. Seſſ. 24. de reform. c. 1.*

# CAP. II.

## *De Vocalibus, qui debent intereſſe Capitulo Prouinciali, & in electionibus vocem paſsiuam habent.*

1 DVobus menſibus ante celebrationem Capituli, Abbas Prouincialis ad ſingula ſuæ Prouinciæ Monaſteria literas propria manu ſubſcriptas, & Prouinciæ ſigno munitas mittet, conuocando in illis omnes, & quoſcumque, qui Capitulo intereſſe debent, vt tempore, & loco deſignato opportunê congregentur.

2 Vocales verò, qui ſuffragium in Capitulis Prouincialibus ferendi ius habent, ſunt, videlicèt, Vicarius Generalis, Abbates Prouinciales, eorum Secretarij, Diffinitores, Patres Prouinciæ, Abbates actu adminiſtrationem habentes, ſiuè Præſidentes abſoluti, Procurator Generalis Curiæ Regiæ, & Magiſtri in Sacra Theologia. De cætero ius nō habeant in poſterum, accedendi ad Capitulum

*Innocen. PP. X. Cum ſicut. ædit. 1652*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

lum Prouinciale,aut in eo ſuffragium ferendi,quos appellant Monaſteriorum Vocales, ſeu Procuratores, neque alij, qui non ſunt expreſsi in hoc Capitulo (illis exceptis) qui ante publicationem harum Conſtitutionũ, rationabilibus de cauſis per Abbatem Generalem fuerint habilitati, vt Capitulis interueniant.

3 Quòd ſi aliquis ex Abbatibus legitimo detineatur impedimento, quominus ad Capitulum per ſe ipſum accedere valeat, loco ſui mittatur Diſcretus, ſiuê Vocalis à Capitulo Conuentuali per ſecreta ſuffragia canonicè eligendus, qui Sacerdos ſit, & per octo annos ſaltem in Religione profeſsionẽ emiſerit. In dicta verò electione, ſicuti in cæteris alijs Capitularibus Monaſteriorum votum activum habebunt, qui Sacris Ordinibus fuerint inſigniti. Electus in Vocalem ſecum deferat literas teſtimoniales ſuæ electionis, & locum in Capitulo habeat, quem ac Prælatus, cuius loco mittitur, ſi præſens eſſet, haberet.

4 Capitulares verò, qui in electione

Abb. :is

AbbatisProuincialis paſsiuam vocem habẽt, ſunt Diffinitores, Abbates, qui actu ſunt, aut qui fuerunt, & Abbatiam laudabiliter terminauerunt ſaltem per vnum continuatum triennium, & Magiſtri in Sacra Theologia. Vicarius Generalis, & Abbas Prouincialis anteceſſor tantum vocem actiuam habebunt.

5 In electionibus verò Diffinitorum vocem paſsiuam habebunt Abbas Prouincialis præteritus, Abbates omnes, qui ſunt, & qui fuerũt, vt ſupra dictum eſt, Magiſtri, Secretarij Vicarij Generalis, & Prouincialis, non verò Diffinitores Actuales.

6 Electiones verò iam dictæ ex ijs tãtum fieri debent, qui præſentes in Capitulo fuerint, & perſonaliter commitia Prouincialia eo tempore celebrauerint.

Quid

## CAP. III.

### *Quid ad Capitulum Prouinciale ſit mittendum, & ab vnoquoque Vocali ſit afferendum.*

1 INtimatis literis conuocatorijs in ſingulis Monaſterijs, quilibet Abbas Monachos profeſſos ſui Cœnobij ad ſonum campanæ congregabit, & habito cum illis brevi tractatu de rebus ad gubernium Monaſterij, tam ſpirituale, quàm temporale pertinentibus, illis proponet, vt ſi expedire in Domino iudicauerint, de rebus illis ad Monaſterium ſpectantibus, certiores facere Patres Capitulares, id literis faciant propria manu Conuentualium ſubſcriptis, & ſigillo Monaſterij roboratis, & illis, ex Capitularibus, quibus eiuſmodi literę fuerint datæ, vel tranſmiſſæ, omni, qua decet fidelitate (præpoſita carceris pœna, ſi ſecus fecerint) toti Capitulo congregato clauſæ, & ſigillatæ præſentari teneantur, prouiſioneſque indè reſultan-

ſultantes, per eoſmet ad dictos Conuentuales mittantur. Quod ſi vrgens neceſsitas alicuius Monaſterij poſtulauerit,& res erit tāti momenti,quę per literas nequeat ſcribi,tunc de licentia Vicarij Generalis, vel Abbatis Prouincialis liceat PatribusConuentualibus aliquem ex illis Monachis mittere ad Capitulum Prouinciale, vt quidquid pro bono illius Monaſterij, vel perſonarum repręſentare velint,repręſentent.

2 Literæ, ſeu petitiones particulares, quæ non fuerint â principalibus ſubſcriptæ in Capitulo non legantur.Si quis autem ſupplicem libellum,accuſationem, vel crimen contra Prælatos,autMonachos ſubſcripſerit, factaque informatione pro indagine veritatis, illud non probetur, vel falſum appareat, per tres menſes carceribus tradatur, & per tres annos voce priuatus exiſtat.

3 Abbas verô Prouincialis Viſitationum librum ſecum adducat, & Prouinciæ ſigillum,necnon clauem Archiuij, vt Abbati Prouinciali eligendo tradantur.

4 Abbates autem afferant catalogum

Mo-

Monachorum, quibus in ſuo Cœnobio præſunt, & per breuem ſummam tabularum ſumptuariarum Monaſterij, diſtinctè, & ordinatè ſcriptam, & ſubſcriptam à Monachis Presbyteris. Itē an aliquo ære grauetur alieno, an non. Afferant etiam taxam quam ad expenſas Capitulares pro eorum rata conferre debent. Et antequam è Monaſterio diſcedant inuentarium omnium bonorum fideliter annotabit, dictique inuentarij vnum exemplar Priori, ſeu Præſidenti conſignet, & aliud Capitulo præſentet: quod ſi conſtiterit Abbatem inuentarium fideliter non confeciſſe, pœnis ſuperiorum arbitrio afficiatur.

5 Vicario Generali, atquè Vocalibus, ſiuè Electoribus omnibus, neceſſarij ſumptus à Prouincia ſuppeditentur, tam eundo, quàm redeundo, & dum ipſi Capitulo aſsiſtunt; quod idem dicendum eſt de itinerantibus ad Capitulum intermedium; vel pro negotijs Prouinciæ.

6 Electores omnes Feria ſexta immediatè præcedenti Dominicam ſecundam Reſurrectionis, vel Pentecoſtes, & nō antea, ſub

ſub pœna arbitrio Diffinitorij applicanda, ad locum Capituli conueniant. Poterit tamen Præſidens rationabili de cauſa cum aliquo diſpenſare, vt duobus, vel tribus diebus ante præfixum tempus locum Capituli ingrediatur.

## CAP. IV.

*De Profeſsione facienda ab ijs, de quorum Profeſsione ſuſpicio habeatur, & Capitulo interſunt.*

1 ANtequam deueniatur ad electiones, vt legitimè, & canonicè fiãt, omnes qui in Capitulo vocem actiuam, & paſsiuam habere prætendunt, ſi aliqua ſuſpicio de inualiditate ſuæ profeſsionis habeatur in foro conſcientiæ, non audeat ſub pœna excomunicationis maioris latæ ſententię in dicto Capitulo ſuffragium ferre, quin prius tria vota eſſentialia in manibus Præſidentis iterauerit in ſcriptis; neq; ob id aliquid de ſua antiquitate, priuilegijs, & præeminentijs amittat.

2 Vt autem in Capitulo ſciatur, qui legitimê ſuffragium ferre poſsit, promulgetur à Præſidente excommunicatio latæ ſententiæ, ne quis non profeſſus, vel de validitate ſuę profeſsionis ſuſpectus, vel alio aliquo canonico impedimento detentus, audeat ſe Capitulo ingèrere: & quicumque de Capitulo ſciuerit, illum denuntiare, & palam facere toti Capitulo teneatur.

## CAP. V.

### *De Scrutatorum electione.*

3 HIs peractis ad Scrutatorum electionē veniatur. Ij numero tres eſſe debent. Horum officium eſt, eligentium omnium vota diligenter perquirere, & eligentibus inde fideliter eligendorum nomina propalare: eorum electio à Vocalibus fieri debet per ſecreta ſuffragia; ijque tantum eligantur qui ſunt de numero vocalium, & qui plura vota, quam cæteri ſortiti fuerint, cenſeantur legitimè electi. Quod ſi plures in votis

votis fuerint pares, ij præferantur, atque electi cenſeantur, qui prius in Religione profeſſionem emiſerint.

## CAP: VI.

### *De electione Abbatis Prouincialis, & Diffinitorum.*

1 SCrutatoribus electis, cæteriſque, vt ſupra peractis, deſignetur præterea Ianitor, qui Portam aulæ Capitularis cuſtodiat, & vt electiones ſecundum canones fiant, ad legitimationem votorum deueniatur, quibus examinatis, ſi aliquid difficultatis emerſerit circa ea, à Capitulo Prouinciali per vota ſecreta, ſi opus fuerit, decidatur. Idemque faciendum eſſe decernimus in quibuſuis alijs Capitulis circa dubia, quæ inde oriri ſolent.

2 Poſtquam verò conſtiterit Capitulum Prouinciale legitimè eſſe congregatũ ſequenti die, qui erit Dominica, primo manè Congregatis omnibus Patribus Capitu-

laribus in Eccleſia, iterum Miſſa de Spiritu Sancto pro fœlici ſucceſſu Capituli celebretur, orationeſque ad Deum effundantur, vt ſuam ijs, qui Capitulo interſunt, Diuinitus voluntatem inſpirare, lumenq, è Cœlis emittere dignetur, quo rectè omnia ſine vlla animi perturbatione ad Dei Omnipotentis laudem, totiuſque Religionis vtilitatem, atque progreſſum ordinari poſsint.

3 Celebrata Miſſa, ſigno dato intonando Hymnum *Veni creator Spiritus* ad Capituli locum conuenient: ibique facto iuramento per electores ſecundum veritatem cuiuſque conſcientiæ probiores, & magis idoneos eſſe electuros; vt nullus in electionibus ſcrupulus remaneat, Præſidens Capituli Vocales omnes à cenſuris ad cautelam abſoluat.

*C. Officij tui, 38. & c. nihil eſt, de elect. 44.*

4 Deinde ſedentibus omnibus pro ſuo ordine, videlicet; Vicarius Generalis qui in omnibus Capitulis, & locis primam ſedem occupabit, ad illius dexteram Abbas Prouincialis, ad latera autem Diffinitores; deinde Patres Prouincię, poſt illos Abbates Monaſte

rio-

riorum, deinde Procurator Generalis Curiæ Regię, poſtea Magiſtri in Sacra Theologia, deinde Secretarij Vicarij Generalis, & Abbatis Prouincialis, & reliqui vocales habilitati ſequentur; & inter eos antiquitas Profeſſionis ſeruetur. Mandabit Præſidens Scrutatoribus ſingulis ſchedulas diſtribui. Aduertant tamen ſcrutatores, ne inter ſchedulas proprium eius, cui dantur, nomen reliquant. Quibus diſtributis, Secretarius Clara, & intelligibili voce nomina omnium, vocem paſsiuam ad Prouincialatus, & Diffinitoriatus officium habentium leget, & Præſidens quærat ab omnibus, an aliquis ex illis, qui in ſchedulis ſunt adnotati voce paſsiua careat iuxta Conſtitutiones. An verò aliquis ex illis, qui talem vocem habet in ſchedulis ſcriptus non ſit, & ſi quid difficultatis emerſerit, à Capitulo per vota ſecreta decidatur.

5 Decernenſque Pręſidens tempus iam eſſe ſuffragium ferendi, vt ad electionem prius Abbatis Prouincialis, deinde Diffinitorum (ſeruata forma S. C. T. procedendo ſecretis ſuffragijs per ſchedulas impreſſas,

ſiuè

*Seſſ. 25. de regul. c. 4.*

*Seſſ. 24. de reform. c. 1. C. cum incunctis, c. cum nobis olim de elect.*

ſivê vna, eademque manu conſcriptas) omnes deueniant hortabitur: electorum conſcientias grauiter onerando, vt memores ſint, nihil ad Dei gloriam, & regularem diſciplinam tuendam vtiliùs, quàm ſi bonos Paſtores, & ad Religionem gubernandam magis idoneos eligere ſtuduerint, nè in electione illorum, qui ſuper omnes conſtitui debent, errare contingerit: Ita vt quod requiritur in corpore, non inueniatur in Capite. Tandemque ſigno dato, Scrutatores ſine vllo ſtrepitu diligenter, & accuratè eligentium vota perquirant, illiſque perquiſitis ſingulorum ſuffragia numerent, & ſi ſchedularum numerum maiorem, vel minorem quàm electorum eſſe inuenerint, electio iterabitur; ſi vero ſint in numero pares, legentur, & Secretarius omnia vota ſingulorum qui eliguntur fideliter notabit, vt facta iam omnium Officiorum electione, pronunciet coram omnibus de Capitulo vota vniuſcuiuſque, vt in pagina fuerint adnotata. Iique legitimê, & canonicè electi à Præſidente publicentur in Abbatem Prouincia-

uincialem, & Diffinitores, in quem, vel in quos inuenerit plura vota concurrere, eo modo quo ſacri Canones decernunt. Et ſi qui pares fuerint in votis, is præferatur, & legitimè electus cenſeatur, qui antiquior erit in Profeſsione, & quilibet ſtatim, ac fuerit electus in ſuo reſpectiuê officio confirmatus eſſe intelligatur. Peractis electionibus, & Publicatis, Abbas Prouincialis, & Diffinitores nouiter electi vnuſquiſque locum ſuum occupabit, prout illis contigerit, & intonando Hymnum. *Te Deum laudamus.* Omnipotenti Deo gratias relaturi, in Eccleſiam proceſsionaliter pergent, ibique omnes Abbati Prouinciali debitum præſtabunt obſequium.

*C. Cum causâ in fine, de elect. C. Dudum, 22. c. Auditis, de elect. 29.*

6 Sed quia in electionibus faciendis pluries euenire ſolet, vt electores in primo ſcrutinio non concordent, ad tollendas confuſiones, quæ ex multiplicatis ſcrutinijs oriuntur, præſenti decreto ſtatuimus, quod ſi in primo ſcrutinio electio non ſortietur, fiet ſecundum, & ſi in illo non concordabunt, quatuor vocales dumtaxat in quos

plura

plura ſuffragia in hoc ſecundo ſcrutinio cõcurriſſe repertum fuerit aſſumantur, & ſi diſcerni nõ poſsit, qui ſint illi quatuor, qui plura vota conſecuti fuerint, quia forſàn plures pares fuerint in votis. Declaramus illos præferendos eſſe qui ſunt in Profeſsione antiquiores. Fiat tertium ſcrutinium in quo tantummodo illi quatuor admittantur, & qui ex his quatuor maiorem omnium ſuffragiorum partem habuerit, eo modo quo ſacri Canones decernunt: is Abbas Prouincialis canonicè electus cenſeatur, & in paritate votorũ primus profeſſus præferatur. Quòd ſi neque in tertio ſcrutinio habeatur electio, fiat quartum ſcrutinium, in quo duo tantũ, qui plura ſuffragia habuerint, admittantur, & in quem ex duobus plura vota concurrerint, is legitimè electus cenſeatur, & publicetur, eundemque modum in electionibus, tam in Capitulo Prouinciali quam extra ſeruandum eſſe ſtatuimus.

7 Sequenti ſigno dato, omnes Capitulares (quod etiam fiet ſequentibus diebus) in loco Capituli conuenient, ibique implo-

rato

rato Diuini Spiritus præſidio pro ſuo ordine ſedentibus omnibus: Præſidens edictum reſidentiæ contra Abbatem Prouincialem, Diffinitores, & Secretarium, quorum officia expirauerũt, promulget, vt intra tres proximos ſequentes dies coram ſe, & Diffinitorio nouiter electo quidquid correctione, vel emendatione illis dignum verê, ac pro certo cognouerint cum charitate, omni humano reſpectu, vel odio ſecluſo proponant. Quibus auditis intra trium dierum ſubſequentium ſpatium ſummariè, & ſine ſtrepitu iudiciali, tantumodo rei veritate inſpecta contra illos procedatur. Quod ſi negotium tam graue erit, vt illis diebus terminari nequeat, eius diſcuſsio ad aliud tempus, vt Diffinitorio viſum fuerit, differatur, & ſeruata forma Iuris contra illum procedatur.

8 In ſequentibus ſeſsionibus Capitularibus, quæ veſperè fient, de omnibus ſpectantibus ad bonum regimen, tàm ſpirituale, quâm tẽporale Monaſteriorum tractabitur, omneſq; petitiones fideliter à duobus vocalibus referentur, & ſi petitio aliqua aduerſus

plura ſuffragia in hoc ſecundo ſcrutinio cõcurriſſe repertum fuerit aſſumantur, & ſi diſcerni nō poſsit, qui ſint illi quatuor, qui plura vota conſecuti fuerint, quia forſàn plures pares fuerint in votis. Declaramus illos præferendos eſſe qui ſunt in Profeſsione antiquiores. Fiat tertium ſcrutinium in quo tantummodo illi quatuor admittantur, & qui ex his quatuor maiorem omnium ſuffragiorum partem habuerit, eo modo quo ſacri Canones decernunt: is Abbas Prouincialis canonicè electus cenſeatur, & in paritate votorũ primus profeſſus præferatur. Quòd ſi neque in tertio ſcrutinio habeatur electio, fiat quartum ſcrutinium, in quo duo tantũ, qui plura ſuffragia habuerint, admittantur, & in quem ex duobus plura vota concurrerint, is legitimè electus cenſeatur, & publicetur, eundemque modum in electionibus, tam in Capitulo Prouinciali quam extra ſeruandum eſſe ſtatuimus.

7 Sequenti ſigno dato, omnes Capitulares (quod etiam fiet ſequentibus diebus) in loco Capituli conuenient, ibique implorato

rato Diuini Spiritus præſidio pro ſuo ordine ſedentibus omnibus: Præſidens edictum reſidentiæ contra Abbatem Prouincialem, Diffinitores, & Secretarium, quorum officia expirauerũt, promulget, vt intra tres proximos ſequentes dies coram ſe, & Diffinitorio nouiter electo quidquid correctione, vel emendatione illis dignum verê, ac pro certo cognouerint cum charitate, omni humano reſpectu, vel odio ſecluſo proponant. Quibus auditis intra trium dierum ſubſequentium ſpatium ſummariê, & ſine ſtrepitu iudiciali, tantumodo rei veritate inſpecta contra illos procedatur. Quod ſi negotium tam graue erit, vt illis diebus terminari nequeat, eius diſcuſsio ad aliud tempus, vt Diffinitorio viſum fuerit, differatur, & ſeruata forma Iuris contra illum procedatur.

8 In ſequentibus ſeſsionibus Capitularibus, quæ veſperè fient, de omnibus ſpectantibus ad bonum regimen, tàm ſpirituale, quâm tẽporale Monaſteriorum tractabitur, omneſq; petitiones fideliter à duobus vocalibus referentur, & ſi petitio aliqua aduerſus

aliquem, qui in Capitulo preſens fuerit, ſpectabit, Preſidens illum à Capitulo exire mandabit, & illuc non ingredi, niſi vocatus fuerit. Et ſi in prouiſionibus faciendis vocales non concordabunt, per vota ſecreta totum id diffiniatur, vel cum alijs negotijs ad Diffinitorium remittatur. Manê verò ſingulis met diebus Diffinitorium ad negotia ſibi à Capitulo commiſſa diffinienda, aliaq; tractanda congregabitur.

9 Terminatis ſeſsionibus habito ſermone per Præſidentem ad Patres ad Regulæ, & conſtitutionum obſeruantiam, omnes coram illo confeſsionem generalem humiliter dicant, & accepta abſolutione à cenſuris, Capitulum diſſoluatur, & ſubſcriptis actibusCapitularibus benedictione accepta, & cãtata Miſſa pro defũctis fratribus, vnuſquiſque ad propriũ Monaſteriũ redibit. Omnia verò acta, quæ tàm in Capitulo Prouinciali, quâm Diffinitorio fient per diſtinctas ſeſsiones, deſignatis locis, & temporibus adnotẽtur, & quæ ad Prouinciæ gubernium ſpectant, tranſcribantur à Secretario, & ſingulis Monaſterijs tranſmitantur.

*De*

## CAP. VII.

### *De Poteſtate Abbatis Prouincialis, & Diffinitorum.*

1 POſt quam igitur, ea ratione, quâ dictum eſt, electi fuerint Abbas Prouincialis, & Diffinitores, intelligantur ij totam Prouinciam repræſentare, ipſiſq; à Capitulo tributam eſſe authoritatem, & poteſtatem audiendi, cognoſcendi, iudicandi, atque determinandi pro vt illis optimum viſum fuerit, quidquid ad vtilitatem, & commune bonum Prouinciȩ ſpectabit, & in Capitulo fuerit tractatum: Ad illos inſuper pertinebit corrigere, & reformare ea omnia, quæ correctionis, & reformationis officio videbuntur indigere, ita quod ſi Abbatem, vel alium cognouerint à ſuo Monaſterio, vel officio amouendum, ſuſpendendum, priuandum, amoueant, ſuſpendant, ac priuent, etiam non expleto ſuæ Abbatiæ, vel officij tempore, verùm præcedant correctiones fraternæ, & reliquȩ circumſtantiæ,

*Cap. Cum in ſingulis 7. de Statu Monach.*

tiæ, quę ad tales ſuſpenſiones, & priuationes de Iure requiruntur.

2 Si verò in Capitulo Prouinciali, vel Diffinitorio aliquæ fient ordinationes, ſiuê acta, teneatur Abbas Prouincialis ſub pœna priuationis officij per annum, ſtatim ac fuerit abſolutum Capitulum, prædictas ordinationes, ſiuê acta ad Abbatem Generalem tranſmittere, vt illis viſis, & conſideratis decernat quidquid in Domino ad vtilitatem Prouinciæ, & Monachorum iudicauerit expedire, & quouſq; prædictæ ordinationes, & acta non fuerint confirmata, nulla ſint, nulliuſq; valoris, & roboris, & nullam prorſus obligationem inducant.

3 Ipſi autem Abbati Prouinciali ab omnibus omnimoda obedientia, & reuerentia, veluti Patri totius Prouincię, exhibeatur, atq; omnibus in locis ſigna præeminentiæ retineat: Sigillum quòq; Prouinciæ apud ſe ſemper habeat, quô literę prouiſiones, ordinationes, dimiſſoriæ ad ordines ſuſcipiendos, ad confeſsiones audiēdas, & verbum Dei prædicandum, ſignari poſsint. Ab-

batis

batis quòq; Prouincialis Monaſteriū determinatum nullum ſit; ſed in quocumq; voluerit habitabit. Curet tamen, vt non vnum magis, quam aliud grauetur, ſuper quod eius conſcientiam oneramus. Cum autem ad viſitanda Monaſteria proficiſceretur, vel iter fecerit pro negotijs totius Prouinciæ, expēſæ ab ipſa Prouincia ſuppeditabuntur. Si autem iter fecerit pro cauſis peculiaribus alicuius Monaſterij, ſumptus ab illo Monaſterio erogabūtur: ſi tamen pro negotijs proprijs fiet proprijs expēſis; Cæterū alatur, & ſuſtentetur cum eius Secretario à Monaſterio, in quo moram fecerit: & ſi ægrotauerit, ſumptibus eiuſdem Monaſterij curabitur. Ad ſoluēdum verò literarum portum erunt omnes Miſſarū elemoſinæ, quas tàm ipſe, quâm eius Secretarius celebrauerint. Totis autem viribus ſtudeat, paupertati Monaſteriorum ſe accomodare.

4 Caueat verò Abbas Prouincialis nō ſe intromittere in officijs, neq; in alijs, quæ iuxta noſtras Cōſtitutiones ad Monaſteriorum Prælatos, alioſq; Officiales ſpectant.

5 Ipſi

5 Ipſimet Abbati Prouinciali quidquid vigore priuilegiorum Abbatibus Monaſteriorum cōceditur id ipſum conceſſum eſſe intelligatur, eo modo quo cæteri Abbates Prouinciales noſtri Ordinis potiuntur, & gaudent, vt Paulus Papa V. benignè indulſit.

*Decet Romanum Pontificem edit.* 1613.

6 Ipſi Diffinitores ab Abbate Prouinciali dum, ê Monaſterio exeunt, & ad illud reuertuntur benedictionem petant. Abſente verò Abbate Prouinciali â Monaſterio exeant, & reuertantur cum notitia Prælati; in Monaſterio vbi Capitulum Prouinciale; vel Diffinitorium celebrabitur dumq; illa perdurant poſt Abbatem Prouincialem in omnibus actibus, & locis locum habebunt.

7 Sed vt Diffinitores (quos pios, & circumſpectos Religioſos eſſe præſumendum eſt) liberiùs quidquid pro maiori Prouinciarum bono expedire ſenſerint, pro ferre non timeant: prohibitum erit Abbati Prouinciali contra eoſdem ad priuationem, vel ſuſpenſionem officiorum, vel ad alias pœnas procedere extra Diffinitorium, in quo ſuper prætenſis reatibus denunciandi, & Patrum

Diffi-

Diffinitorum ſuffragio, cauſa cognita, iudicandi erunt. Item illorum literas quibuſcumq; Religioſis, aut extraneis miſſas, aut ipſis remiſſas recipere, aperire, retardare nullatenus poſsit.

*Innoc. X. nuper pro parte ædit. 1649.*

8 Diffinitores verò Abbates ſimul, & Diffinitores in eodem triennio eſſe non poterunt; ſed ſi in Abbates eodem tempore, quo ſunt Diffinitores electi fuerint, infra ſpatium viginti quatuor horarum ad vnum ex illis exercendum, ſivè Diffinitoratum, ſiuê Abbatiam ſe ſe determinare debent, alioquin electio Abbatis nulla ſit, & alium eligi mandamus.

9 Diffinitores cum ſint Religionis Iudices in Capitulis Conuentualibus, & alijs actibus, in quibus cæteri Conuentuales voce gaudent, vel dum culpę in Refectorio, vel alio in loco dicuntur, non aſsiſtant, aut præſideant, nec Monaſteriorum, eorumque perſonarum regimini ſe immiſcere poſsint.

(.o.)

Quan-

## CAP. VIII.

*Quandiù poteſtas Abbatis Prouincialis, Diſſinitorum, & Abbatum duratura ſit, de numero Diſſinitorum, & de loco celebrandi Capitulum.*

1 PRælati verò Abbates Prouinciales, & Diſſinitores per triennium ſint in ſuo quiſq; officio, & poteſtate, eorũque poteſtas, & officium ad alios in ſequenti Capitulo eligendos transferatur. Perfuncti verò triennio, in eodem officio reeligi non poterunt; ſed Abbas Prouincialis per ſexennium vacet, ita vt illo ſexennio durante nullo prętextu in Abbatem Prouincialem eligi poſsit.

2 Abbates verò perfuncto eorum triennio in vno Monaſterio, in alio poterũt eligi in ſecundo triennio; non verò reeligi, vel confirmari in eodem, niſi ab Abbate Generali, qui hanc facultatem tantumodo reeligendi, vel confirmandi habebit.

3 Quam-

3 Quamuis Diffinitores perfuncto eorum triennio in eodem officio immediate reeligi non poſsint; tamen ſi poſt Capitulum Prouinciale peractum idem vacauerit officium Diffinitoris, poterunt ad illud idem (niſi aliud obſtet) aſſumi, vel eligi; illa enim non reelectio, ſed electio noua dicenda eſt. Idemq; de Abbatibus dicēdum, qui in eodem met Cœnobio, in quo antecedenti triennio præfuerunt, eligi poterunt.

4 Decernimus item, quòd in ſingulis Prouincijs quatuor Diffinitores in Capitulo Prouinciali eligantur, qui ſint, & eſſe debeant eiuſdem illius Prouinciæ.

5 Locus verô celebrationis Capituli certus præſcribi non poteſt; ſed prout in certi rerum euentus poſtulabunt, modò hic, modô illic celebrari conueniens erit. Propterea in ſingulis Capitulis Prouincialibus, locus, in quo proximum Capitulum Prouinciale, & Capitulum intermedium celebrandum erit, deſignabitur; & cauſa explicetur, cur in eo potiſsimum loco celebrari decernitur.

## CAP. IX.

### *De Præſidente Capituli Prouincialis, & quando poſſit diſpenſare circa tempus celebrandi illud, ac de Vocalibus, qui Capitulo Generali intereſſe debent.*

1 CApitulis Prouincialibus in ſingulis Prouincijs tertio quoq; anno, tempore, & loco, vt dictum eſt, celebrandis Vicarius Generalis ſemper præſidebit, & eo impedito Abbates Prouinciales, quilibet in ſua Prouincia (ſalua ſemper in omnibus authoritate, & poteſtate Abbatis Generalis prout in Bullis felic. recordat. Gregorij PP. XIII. quæ incipit *Benedictus Dominus Deus noſter*, aliorumq; ſummorum Pontificum) Poterit tamen Vicarius Generalis commutare tempora celebrationis Capitulorum, ſi, videlicet eo tempore, quo celebrari debet in vna Prouincia, inueniretur in alia, hoc eſt, poterit diſpenſare, quòd in Prouincia Bœthica celebretur

*Gregor. 13. Benedictus Dominus Deus noſter ædit. 1579. Clement. 8. quæ ad reſtituẽdos ædit. 1542. Paulus 5. iniuncti nobis ædit.* 1609.

bretur Sabbato Dominicæ ſecundæ Reſurrectionis,& in Prouincia Caſtellæ Vigilia Pentecoſtes.

2 Si verò eodemmet anno, quo in his Prouincijs Capitula celebrantur, contingat celebratio Capituli Generalis, in tali caſu abſq; declaratione Capitula Prouincialia harum Prouinciarum ad alium annum prorogata, omneſque Abbates, & Officiales vnuſquiſque in ſuo officio ad dictum tempus cõfirmati eſſe intelligantur, & hoc non alia de cauſa, neq; ad alium finem, niſi vel pergendi cauſa, vel mittendi Vocales ad Capitulum Generale.

3 Vocales verò, qui Capitulo Generali intereſſe debent, ſunt Vicarius Generalis, Abbates Prouinciales, Diffinitores, Abbates actu gubernium habentes,& Magiſtri in Sac. Theologia: quibus omnibus ſumptus pro itinere à Prouincia cum Dei timore ſuppeditabuntur: ſi verò ob Monaſteriorum paupertatem Vocales omnes Vocati Capitulum Generale adire nequeant, teneatur quęlibet Prouincia ſaltem duos ſupradictorum Voca-

lium ipſius nomine ad illud mittere, qui ab Abbate Prouinciali, ſimulq; Diffinitoribus, & Vicario Generali (in ea Prouincia, in quà præſens fuerit) per ſecreta ſchedularum ſuffragia eligentur, & electi literas, vt vocant teſtimoniales ſuæ electionis, & ſtatum vniuſcuiuſque Monaſterij ſecum deferre teneantur: verùm ſi aliquis ex ſupradictis Vocalibus proprijs expenſis ad dictum Capitulum Generale adire voluerit, à nemine impediatur.

4 Quod ſi Abbates Prouinciales, & Diffinitores pro tempore, pro ſua culpa ſupradictos duos Vocales, ad Capitulum Generale ire non permiſerint, certò ſciant à Capitulo Generali priuandos voce actiua, & paſsiva, & ad officia in poſterum obtinenda inhabilitandos eſſe.

(o)

Quo

## CAP. X.

*Quo tempore Abbas Prouincialis, & Diffinitores conuenire debent in locum vnum.*

IN medio triennij, hoc eſt, in die feſtiuitatis Sancti Lucæ Euangeliſtæ in qualibet Prouincia Abbas Prouincialis, & Diffinitores in Monaſterio à Capitulo Prouinciali ad id deſignato (præcedentibus vocatorijs vno menſe ante præfixum tempus) congregentur. Eoque nullus, neque Prælatorum, neque Monachorum accedet, niſi de licentia eorundem in ſcriptis danda; ſed ſi opus fuerit, per literas ea, quæ ad Monaſterij, aut perſonarum vtilitatem pertinebunt, illis exponent. Ipſi verò Prælati cum Dei amore prouideant, atq; determinent quidquid prouidendum, aut determinandum neceſſario fuerit. In ea autem Prouincia vbi Vicarius Generalis præſens erit, dicto Capitulo intermedio præſidebit; in alia verò Abbas Prouincialis præſideat.

De

## CAP. XI.

### *De Secretario Prouinciæ.*

1 SEcretarius Prouinciæ ab ipſomet Abbate Prouinciali ſuo arbitrio, & prudentia in Diffinitorio nominetur; non quilibet, ſed qui Sacerdos fuerit, & qui in Religione per decem annos habitum geſſerit, ſitq; ſufficienter doctus, & in numerando peritus. Eius officium erit viſitationes, tam publicas, quàm ſecretas, proceſſus, literas dimiſſoriales, licentias, ordinationes, & ſententias, necnon omnes alias ſcripturas ad Generalem Prouinciæ, ſeu particularem Monaſteriorum, eorumque Monachorũ gubernationẽ ſcribere, vel ſignare, & ad faciẽdam fidẽ ſubſcribere.

2 Si Abbas Prouincialis obierit, eius officium cum morte illius terminare decernimus; poterit tamen nominari, vel confirmari Succeſſoris Prouincialis arbitrio.

3 Antequam munus exercere incipiat in manibus Abbatis Prouincialis de ſeruando

ſecreto

ſecreto iuramentum fidelitatis præſtet. Ipſo abſente, ſeu in firmo licitum ſit Prouinciali alium in ipſius locum ſubſtituere, qui omnia acta, & ſcripturas originales, quæ tunc temporis fient, proprio Secretario, ablato impedimento, tradere teneatur; ſi verò Secretarius obierit, alter loco ſui ab ipſo Prouinciali nominetur. Habebit inſuper regiſtrum omniū actorum, & ſcripturarum, quod ſimul cum ſcripturis in triennio à ſe confectis in Archiuo Prouinciæ aſſeruetur, & alteri Secretario ſucceſſori conſignet.

4 Secretarius immediatè Abbati Prouinciali ſubiectus exiſtat, & è Monaſterio exiens, & ad illud rediens ab illo benedictionem petat: abſente verò Abbate Prouinciali à Prælato petere teneatur. Idemq; ſentiendum de Secretario Vicarij Generalis, abſente illo.

## CAP. XII.

### *De Procuratoribus in Curia Regia, & Romana exiſtentibus.*

1 IN Capitulo Generali vnus Procurator Generalis apud Catholicam Maieſtatem ad negotia totius Religionis pertractanda eligatur: & ſicut negotia Prouinciarum omnium noſtrę Religionis in Romana Curia nullatenus per alium, niſi per Procuratorem Generalem ibi exiſtentem tractari poterunt; ita negotia quæcumq; ad Religionem ſpectãtia nullatenus per alium in Regia Curia, niſi per Procuratorem Generalem ad hoc deputatum pertractari mandamus, & ſumptus negotiorum particularium alicuius Prouinciæ, aut Monaſterij, ab illamet Prouincia, vel Monaſterio ſoluentur; & ad ſoluendum literarũ portum; ipſi erunt omnes Miſſarum eleemoſynæ, quas celebrauerit.

2 Procuratori verò Generali Curię Romanę, pro portu etiam literarum teneatur

quilibet Abbas Prouincialis Prouinciarum harum, ſingulis annis, mittere ducenta regalia argentea in duplici ſolutione, in feſto ſcilicèt Natiuitatis Domini, & Sancti Ioannis Baptiſtæ ſub pœna ſuſpenſionis officiorum per annum ipſo facto incurrenda.

3 Procurator Generalis, non quilibet eligatur in Regia Curia; ſed ille, qui vocem paſsiuam habebit ad Prouincialatus officium, ſitq; bonæ vitæ, famæ, prudentiæ, & doctrinæ, & præcipuè amator pacis, ac obſeruantiæ regularis. Cognitionem verò cauſarum dicti Procuratoris Generalis ad Abbatem Generalem ſpectare, & ſub illius poteſtate immediatè exiſtere, decernimus. Ita tamen, vt in abſentia Abbatis Generalis ſub obediẽtia ſit Vicarij Generalis, à quo cum è Monaſterio egreditur, & ad illud reuertitur, qualibet vice benedictionem petere teneatur, neque poterit Vicarius Generalis illam denegare.

4 Si verò Procurator Generalis deliquerit: in hoc caſu Vicarius Generalis contr illum informationes capiat, & vſq; ad ſentenatiam diffinitiuam excluſiuè procedet, & teneatur

ſub pœna priuationis officij ſtatim Abbatem Generalem certiorem facere, vel informationes mittere, vt de iuſtitia prouideat.

5 Et quia poterit euenire, quod Procurator Generalis non ſit filius Prouinciæ Caſtellæ, & illius aſsiſtentia in Curia Regia eſſe debet, volumus quod Monaſterium Sancti Baſilij Matritenſis omnia, quæ ad victum, & veſtitum, & infirmitatem neceſſaria fuerint, ſubminiſtrare teneatur durante ſui officij tempore.

## CAP. XIII.

### *De Ordine Præcedentiæ, & loco ſedendi.*

1 CVm in domo Dei non deceat aliquid eſſe inordinatum, ſtatuimus locum præcedentiæ ita ſingulos occupare, vt Abbas Generalis omnibus in locis primum locum ſuper omnes habeat: omneſq; tam Prælati, quàm ſubditi de Monaſterio exituri reuerenter prius ab ipſo genibus flexis benedictionē accipiant. Poſt ipſum locum habebit Vicarius Generalis, deinde

*Regul. fuſ. diſp. cap. 21.*

Abbates

Abbates Prouinciales, poſtea Diffinitores, deinde Patres Prouinciæ (ſcilicèt qui Abbates Prouinciales fuerunt, vel Vicarij Generales, & inter eos ſeruetur antiquitas profeſsionis) poſtea Abbates actu adminiſtrationem habentes, deinde Procurator Generalis Curiæ Regiæ Catholicæ Maieſtatis, ſequentur Priores in proprijs tantùm Monaſterijs (in alijs veró locum habebunt ante Nouitiorum Magiſtrum) poſtea Magiſtri in Sacra Theologia, inter quos habebit vltimum locum Prędicator Regię Maieſtatis, ſi non fuerit Magiſter: deinde Secretarius Vicarij Generalis, poſtea Secretarius Abbatis Prouincialis, deinde Magiſtri Nouitiorum. Cæteri verò omnes ſecundùm tempus, quo profeſsionem emiſerunt, ſequentur.

2 Abbates verò ita locum inter ſe teneant, vt in cœnobijs, quibus deputati ſunt alijs Abbatibus, etiam ſecundùm profeſsionem Superioribus, atq; Diffinitoribus præcedant. Ipſiſq; è Monaſterijs abſentibus vltra viginti milliaria, Priores, veluti Præſidentes in eodemmet Abbatis loco ſedebunt.

 3 Clerici

*C 3. de conſtitut. Peliz to. 2 tract. 8. C. 6. ſect 4. ſubſ. 2. Bordonus in terminis, q. 55.*

3 Clerici verò, ſiue Choriſtæ, etiamſi Novitij ſint, quia vnum corpus faciunt cũ Choriſtis profeſsis diuerſo iure cenſeri non debent, ideo laicos profeſſos in omnibus locis pręcedant.

4 Cæterùm in poſterum circa locum præcedentię ſeruetur ſemper antiquitas profeſsionis; non verò pluralitas votorum pro Diffinitoribus, neq; prioritas gradus Magiſterij pro Magiſtris (ſaluis iuribus illorum, qui ſunt in poſſeſsione præcedendi ſecundùm antiquitatem gradus Magiſterij, vel ſecundũ votorum pluralitatem)

5 In abſentia autem Priorum, è Monaſterijs, præſideat ille, qui inter alios digniorem, ſeu primum locum occupabit (exceptis Diffinitoribus) qui cũ ſint Prouinciæ Iudices nõ debent Monaſteriorũ regiminibus in conventualibus actibus, ſe immiſcere; quamuis revera in Monaſterijs, vbi habitant, conuentuales ſint, & vti conuentuales quidquid illis, pro victu, veſtitu, infirmitatibus, aliſq; ad eorum vitam neceſſarijs opus fuerit, à Prelatis cœnobiorum prouidendum erit.

De

# CAP. XIV.

## *De ratione viſitandi Monaſteria per Vicarium Generalem, & Abbates Prouinciales.*

*Seſſ. 24. de reformat. cap. 3. Concil. Tholet. 4. c. 35.*

1 ABbas Prouincialis bìs in ſuo triẽnio, hoc eſt, duobus primis annis, omnia ſuæ Prouinciæ Monaſteria viſitabit, & ſi fuerit impeditus, ita vt per ſe ipſum viſitare non poſſit, vnum ex Diffinitoribus mittat, cui authoritatẽ ſuam inſcriptis, vt ſibi viſum fuerit, committat.

2 Vicarius verò Generalis in quolibet triennio, Monaſteria omnia vtriuſq; Prouinciæ ſemel viſitabit per ſe tantùm; non autem per interpoſitam perſonam, vt de Abbate Prouinciali dictum eſt; quòd ſi legitimo detineatur impedimento, quominus per ſe ipſum viſitare valeat, loco ſui ad ea viſitanda pergat Abbas Prouincialis, & ſecum deferat Secretarium Vicarij Generalis. Pro quibus viſitationibus peragendis, & Capitulis præſidendo

pro

prouideatur à qualibet Prouincia de expenſis, habita conſideratione, neceſſarijs, ratione itineris: & pro portu literarum erunt omnes eleemoſynæ Miſſarum, quas ipſe eiuſq; Secretarius celebrauerint.

3 Porrò ex eo quòd viſitationes, nec ſtudioſê fiunt, nec benè obſeruātur, ideo regularis diſciplina ruit. Pro inde Vicario Generali, & Abbatibus Prouincialibus, cęteriſq; viſitatoribus diſtrictè iniungimus, vt in ſuis viſitationibus illud propoſitum eſſe debet, vt Regulę, & Conſtitutionum obſeruantiam, & omnem noſtri inſtituti rationem vbi non integrè, & perfectè cuſtoditæ fuerint, reſtaurent, errata corrigant, & omnem negligentiā puniant. Ideo ſtatuimus, vt in viſitationibus præſentem formam obſeruent.

4 Congregatis Prælato, & Monachis ad ſonum campanulę viſitator aulam Capitularem ingrediatur, ibi implorato priùs Diuini Numinis præſidio, legatur præſens Capitulū: eoque lecto exhortationem aliquam coram omnibus ad obſeruantiam, vel de alijs rebus ad viſitationem pertinentibus pro rerum, aut tem-

temporum opportunitate habeat; & deinde, vt de ſuperiore, de ſe ipſis adinuicem; atque totius Monaſterij ſtatu, quidquid ſuper his, de quibus interrogati fuerint correctione, & emendatione dignum verè, & pro certo cognouerint, ſinguli edoceant charitatiuè, & veraciter, ſecluſo omni amore, & timore, odio, vel humano reſpectu. De cætero, cùm fiunt viſitationes, in inquiſitione, ſeu probatione culparũ habeatur præceptum obedientiæ pro iuramẽto. Poſsit tamen viſitator, ſi ei videbitur, in grauioribus cauſis pro reuelanda pleniùs veritate exigere iuramentum, & præcipere etiam ſub pœna excommunicationis.

5 Peractis omnibus, vt ſupra: Viſitator, preſentibus omnibus de Capitulo, celebrauit Miſſam de Spiritu Sãcto, deinde viſitabit Cuſtodiam, in qua Sacrum Corpus Chriſti ſeruatur, Sacra olea, Reliquias Sanctorum, Altaria, & Aras, omnia vaſa Sacra, Eccleſiaſtica indumenta, & ornamenta, & conſideret, an omnia decenter, honeſtè, & Religioſè ſint depoſita. Item tabulas, & libros, in quibus onera Miſſarum adnotata ſunt, & diligẽter inquirat, an dictis oneribus ſatisfiat.

6 In

6 In viſitatione ſecreta inquirat etiam, ſi præcedens viſitatio fuerit obſeruata, & quis in non obſeruando fuerit culpabilis ſiuê Prælatus, ſiuê ſubditus. Item de negligentia ſuperiorum in corrigendis exceſsibus, ſi de neceſſarijs ſufficienter prouideant Monachis, præcipuè infirmis? ſi bonum de ſe ipſis præbeant exemplũ? ſi Conſtitutiones, & mandata ſuperiorum ipſi obſeruent? & curent, quòd ab alijs obſeruentur. Item de pace Monachorum adinuicem, & qualiter ſe habent in obedientia, continentia, paupertate, aſsiſtentia Chori, ſilentio, Religioſitate in verbis, in veſtitu, in actionibus, & in omnibus obſeruantijs Religionis.

*Eodem cap. eaque vt ſup.*

7 Pro temporalium quôque ſtatu cognoſcendo accuratè inquirant, an Monaſterium grauatum ſit ære alieno? quod ſi inueniatur grauatum, & Prælatus nullam reddet rationabilem cauſam, quæ ipſum legitimê excuſet, in ipſum culpa redundet. Item conſideret, ſi ędificia Monaſterij benè conſeruentur, ſi officinæ de ſupellectilibus neceſſarijs ſint prouiſæ. Item Monachorum cellas, & ſi ex neceſſarijs defecerit aliquid, ſtatim prouideri mandetur. Si

clauſtra

clauſtra vndiq; cuſtodiantur, ſi computa temporibus à Cōſtitutionibus preſcriptis fuerint reddita. Si redditus Monaſteriorum fideliter, à quibus id ſpectat, expendantur, & in libro exactè adnotentur, & quos in præmiſsis negligentes, aut culpabiles, inuenerit, corrigendos corrigat, & puniendos puniat, cum charitate tamen, & vt ad vtilitatem animarum, & ædificationem cōducere iudicauerit per modum prouiſionis tamen, & vſq; ad tempus celebrationis Capituli Intermedij, vel Prouincialis, in quibus Viſitatores ſub pœna priuationis officiorum teneantur prouiſiones tempore viſitationis à ſe factas, exactè in Diffinitorio proponere, & Patrum ſententias exquirere, quorum arbitrio erit prouiſiones huiuſmodi per vota ſecreta approbare, vel aliter ſtatuere, diſponere, & prouidere, pro vt in Domino iudicauerint expedire. Illud tamen advertendum cenſemus, quod ad abrogandum, ſeu reprobandum aliquid ab Abbate Prouinciali ordinatum, requiritur, vt maior pars votorum in id concordet: quando autem æqualia erunt ſuffragia Abbatis Prouincialis ſentētiæ inhærendum erit,

*Cap. Eaque pro Relig. 8. de ſtat. Monach.*

8. Non valeant tamen Viſitatores perſonam aliquã ab Abbatia, officio, aut voce actiua, & paſsiua priuare, aut ad grauiores pœnas deuenire, niſi debita inquiſitione præcedẽte, audita parte, & de ſententia Diffinitorum in Diffinitorio ſimul congregatorum.

*Cap. Cauendum, & Cap. Inter cætera. 20. q. 3. C. Cum Apoſt. de cenſib. Cap. exigit ſexti dec. lib. 3. de cenſib. tit. 22. cap. 2. Cõcil. Gen. Lugdun.*

9. Aduertant ſuper omnia Viſitatores munera, ſeu munuſcula cuiuſcumq; quantitatis, vel prætij; nec accipere gratis data, nec exigere non oblata per ſe, vel interpoſitam perſonam; vt omnibus oſtendant, non quæ ſua, ſed quæ Chriſti ſunt, quærere: vt illa ſola mercede contenti ſint, quam fidelibus ſeruis Dominus repromiſit. Regularem Obſeruantiam, factis potius, quàm verbis docendo. Porro hortamur illos in Domino, vt quantum fieri poterit, ab ordinationum multiplicatione oneroſa ſe abſtineãt: quòd ſi animaduerterint aliquid ex his, quæ in Cõſtitutionibus habentur, non obſeruari; non faciant de illo nouum mandatum, ſed illius obſeruantiam præcipiant, ſic dicendo: talis numerus, talis Capituli, vel tale Capitulũ Cõſtitutionũ noſtrarum inuiolabiliter ſeruetur, pœnas, ſi opus erit ad-

dendopro illius obſeruantia. Cæterum, vt omnia ſupradicta exactè Viſitator exequatur, oporter, vt noſtram Regulam, & Coſtitutiones, & ordinationes alias optimè noſcat, & de præcipuis memoriale aliquod ſummatim inſtituat, iuxta quod in viſitatione poſsit ſingulos examinare.

## CAP. XV.

*De electione Prælatorum, & quam diligentiam in ſuo quiſq; regendo Monaſterio adhibere debeat.*

1 PRælati ſiuè Abbates Monaſteriorum, ij tantummodo eligantur, qui trigeſimum ætatis annum attigerint, & in Religione ſaltem per decennium profeſsionem emiſerint: Potiſsimùm autem, quãtum humana fragilitas patitur, ij dumtaxat eligantur, qui præter dicta, merito, vita, doctrina, & prudentia cæteros antecellant, & in quorum vitam quicumq; intueantur, (vt proprijs S. P. N. Baſilij verbis vtar) omnium vir-

*De Inſt. tu. Monach. ſerm. 1. Seſſ. 23. de riformat. c. 1. In Bulla Pij IV. ſup. reſid.*

virtutum exemplar ante oculos propoſitum habeant, admoneanturq; tam verbis, quàm exẽplo,& vt faciliùs,commodiúſq;ſibi ſubiectis regere, & debita clauſura continere poſſint, aſsiduè in ſuis Monaſterijs reſidere ſtudeant.

2 At quia, vt ait Divus Nanzianzenus, *ars quadam artium, & ſcientia ſcientiarum eſſe videtur, hominem regere, animal omnium maximè varium, & multiplex.* Ideò ſuper omnia prudentia,tanquam magiſtra regiminis ſemper vtãtur,vt ſi vna via ad eum finem, quem optant,peruenire non poſsint,alia tamẽ pro locorum, ac temporum varietate pro diverſarum perſonarum conditione, quò tendunt,perueniant. Cæterum animaduertant omnes regimini deputati, vt in præcipiendo, vel in cenſuris ferendo modum ſeruent,& nõ niſi in graui cauſa, ſummaq; cum maturitate illis vtantur, ne vbi remedium quæritur, pernicies paretur: intelligentes ſe paſtores, non percuſſores eſſe, & ita præeſſe ſibi ſubditis oportere,vt non eis dominentur;ſed illos tanquam filios, & fratres diligant: cum ſæpe plus

*Conſtit. Monaſt. cap. 15.*

*Seſſ. 25. de refor. C. Dilecto de ſen. excom. in 6. Cap. Multi in Princ. 21. q. 1. Cap. Corripiantur 24. q. 3. Seſſ. 13. de reformat. cap. 1.*

agat beneuolẽtia, quàm auſteritas, plus exhortatio, quàm comminatio, & plus charitas, quàm poteſtas.

3 Abbates igitur in proprijs Cœnobiorum, & Collegiorum Capitulis eligantur per ſecreta ſchedularum ſuffragia, & in ipſorum electionibus votum paſsivum habebunt omnes, qui fuerunt Abbates, Diffinitores, vel Secretarij, ſimiliter, & Magiſtri in Sacra Theologia, & qui ad Abbatias fuerint habilitati per Capitulum Prouinciale, vel per Abbatem Generalem. Et votum activum habebũt omnes Conuentuales, qui Sacris ordinibus fuerint inſigniti. Ijq; poſt quam fuerint electi ab omnibus, vt par eſt, in Monaſterijs obedientia pręſtetur; nihilq; in illis fiat abſq; eorum volũtate; ab ipſis etiam omnes flexis genibus cum de Monaſterio exeunt, cumq; ad illud reuertuntur benedictionem petant.

*Seſs. 22. de reformat. cap. 4.*

*Conſtit. Monaſt. cap. 20. & 23.*

4 Declaramus autem per Monachos Conuentuales, qui in electionibus Capitulorũ cuiuſq; Monaſterij ſuffragium ferre poſſunt, intelligendos eſſe, qui ſub obedientia Abbatis intra clauſtra vivunt, vel qui in hęreditatibus,

ſeu

ſeu Grangis Monaſteriorum ſunt aſsignati à ſuperioribus pro ſeruitio earumdem hæreditatum, & in dictis hæreditatibus, ſeu Grangis intra clauſtra viuunt. Item illos, qui ad prædicandum diuinum verbum à ſuperioribus ſunt aſsignati in aliquibus locis; vel ad eleemoſynas colligendas. Non autem illi, qui ſunt aſsignati in Conuentuales alicuius Monaſterij, & ſub prætextu aliquo, non abſque diſciplinæ regularis præiudicio extra Monaſteria vitam degunt. Superiori ſuper hoc maximè conſcientias onerantes.

§ Similibus electionibus pręſidebit Abbas Prouincialis, in quibus voto actiuo carebit, habebit tamen votum in caſu æqualitatis votorum, & vt in electionibus faciendis non fit dolus, ſtatuimus, Abbatem Prouincialem nullo modo conuentualem aliquem, votum habentem à Monaſterio, vbi fiet electio, amouere, neq; ex alio ad dictum Monaſterium adducere, & aſsignare poſse per ſex menſes ante dictam electionem; & caſu quo aliquem aſsignauerit, voce actiua careat in illa electione, qui fuerit aſsignatus. Caueat inſuper Abbas Prouin-

*C. Sciãt. cũcti, de elect. in 6.*

Prouincialis neq; directè, neq; indirectè, neq; per ſe, neque per alios, neq; blandimentis, minis, oblationibus, vel alio quouis modo vota eligentium impedire, quominus liberè in electionibus ſuffragium ferant, ſub pœna excomunicationis maioris latę ſententię, & priuationis officij ipſo facto incurrenda.

6 Cum præcepto Diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, & bonorum omnium operum exemplo paſcere, & in cętera munia paſtoralia incumbere, quę omnia nequaquam ab ijs preſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non inuigilant, neq; aſsiſtunt, ſed mercenariorũ more deſerunt; ad obuianda igitur damna, quæ ex ſimilibus abſentijs oriri ſolent, hortamur omnes, & ſingulos Prælatos, vt in proprijs Cœnobijs, quibus ſunt deputati, reſidere ſtudeant, & non niſi vrgentiſsima de cauſa, vel ad Monaſteriorum negotia pertractanda, & de ſuperiorum licentia ab illis diſcedant, & diſcedentes, ita ouibus ſuis prouidendum curent, vt quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant. Si quis autem

*Seſſ. de reformat. cap. 1.*

*Cap. de Cætero. Cap. Relatum, de Cleric. non reſidé.*

tem

*In Bulla Pij IV. ſup. reſid. ſeſſ. 6. de reform. cap. 1.*

tem contra huius decreti diſpoſitionem abfuerit, præter alias pœnas aduerſus non reſidentes à Sacris Canonibus impoſitas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, etiam officio, & voce ipſo facto priuatus exiſtat.

7 Abbas autem, qui ſuum officium terminauerit, de ſua adminiſtratione ſtatim Abbati Prouinciali rationem reddere teneatur, vt prædicti Monaſterij ſtatus omnibus innoteſcat, & eius bono temporali prouideatur.

8 Cum verò Monachum aliquem conventuali diſciplina, vel coram Capitulo Conventuali plectendum eſſe occurrerit (quod non niſi ob grauiſsimum crimen, aut quando ei annexa eſt excomunicatio cum Sacerdotibus, vel in Sacris conſtitutis exequetur, & non aliter, nec alio modo) per alterius manum, nō verò per propriam ipſius Abbatis id fiet. Quòd ſi quis iuſſus diſciplinam alteri infligere, facere recuſauerit, eidem diſciplinæ ſubiacere mandamus.

De

## CAP. XVI.

### *De ijs, qui in loco Prælatorum Defunctorum ſuccedunt.*

1 SI Prętatorum, aut Abbatum aliquis ex hac vita migrauerit, Prior ſiuê is, qui immediatè in Monaſterio illum ſequebatur, quouſq; prouiſum fuerit, Monaſterium eo modo, atque authoritate gubernet, & regat, qua Prętatus viuens regebat, ſtatimq; de morte eiuſdem Abbatem Prouincialem certiorem faciat, vt quàm citiſsimè poterit de idoneo Prælato illud Monaſterium prouideat, quod prouidere mandamus infra menſem à die notitiæ mortis illius: & ne contingat aliquem non habilem eligi, volumus, vt præter illos, qui in numero Prælatorum fuerunt adſcripti, alios octo ex ipſis Monachis in qualibet Prouincia eiuſdem conditionis, ætatis, & vitæ, cuius Prælati eſſe debent, ad Prælaturam habilitari per Capitulum Prouinciale, vel per Abbatem Generalem, vt Prælato ali-

cuius Monaſterij decedente, per Capitulum Conuentuale.] vnus ex illis in Monaſterio Prælato carenti eligi poſsit. Quorum habilitatorum nomina, ſimulq; aliorum ad Prelaturas vocem paſsiuam habentium in ſingulis Monaſterijs erit Cathalogus, vt ab omnibus illorum plena notitia habeatur: qui verò ſemel fuerit habilitatus, habilis perpetuò erit; ſi tamen ob mortem, vel ob aliam cauſam, priuationis ſcilicèt, aut renunciationis, aliquis ex numero habilitatorum defecerit, alius ſubrogetur in proximo Capitulo Prouinciali habilitandus.

2 Si verò infra biennium à Capitulo Prouinciali celebrato Abbas Prouincialis obierit, Prelatus Monaſterij, in quo mori contigerit, per nuncium ſpecialem, nulla mora poſt poſita, mortem illius denunciet primo Diffinitori, qui, ne Prouincia Superiore careat, eius ſuccedat loco, & officio quouſque Vicarius Prouincialis eligatur, quæ electio vltra duos menſes differri minimè poſsit, quo prædeterminato tempore ad dictam electionem deuenire mandamus.

2 Diffi-

3 Diffinitor primus poſtquàm nuncium acceperit, ſtatim ad futuram Vicarij Prouincialis electionem faciendam per literas propria manu ſubſcriptas, & Prouinciæ Sigillo munitas Vicarium Generalem, & Diffinitores in locum determinatum conuocare teneatur, quibus venientibus, vel non venientibus tempore, & loco præfixo Capitulum celebrari ſtatuimus, & ius eligendi ſit apud illos, qui fuerint præſentes.

4 Electio fiat, tàm de præſentibus in Capitulo prædicto, quàm de abſentibus habentibus requiſita iuxta Conſtitutiones Ordinis.

5 Si verò infra annum ante Capitulum Prouinciale celebrandum Abbas Prouincialis ex hac vita migrauerit, primus Diffinitor in eius locum ſuccedat, eandemq; authoritatem, quam defunctus habebat, ipſe habeat vſque ad ſequens Capitulum, in quo vocem paſſiuam habebit ad Prouincialatus Officium.

6 Electo autem Vicario Prouinciali eandemq; authoritatem, quam viuens prædeceſſor habebat, & ipſe habeat vſq; ad ſequens Capitulum celebrandum. Quod ſi tantùm

per annum, & non amplius huiuſmodi exercuerit officium, poterit per ſequens Capitulũ in Abbatem Prouincialem eligi. In defectum verò alicuius ex Diffinitoribus ob mortem, priuationem, aut ob aliam cauſam liceat Abbati Prouinciali cum Diffinitoribus, & Vicario Generali, ſi præſens erit in illa Prouincia, alium habentem requiſita de numero vocalium ad Diffinitoratus officium ſubrogare. Qui Diffinitor electus inter alios Diffinitores locum ſuæ profeſsionis occupabit; & ſi tantùm per annum, & non amplius erit in huiuſmodi officio, habebit in ſequenti Capitulo vocem paſsiuam ad idem conſequendum. In caſu verò mortis (vel ob aliam cauſam) aliorum nempè Lectorum Theologiæ moralis, Prædicatorum maiorum, Magiſtrorum Nouitiorum, & ſimilium liceat Abbati Prouinciali per modum prouiſsionis vſq; ad Capitulum Diffinitorium, vel Prouinciale illos deputare, & nominare.

(§)

De

## CAP. XVII.

### *De poteſtate Priorum in vnoquoque Monaſterio.*

ELigantur etiam per Capitulum Conuentuale in quolibet Monaſterio Priores, ad cuius officium paſsiuam vocem habebunt omnes, qui Sacro Presbyteratus Ordine, fuerint inſigniti, & per octo annos habitum Religionis geſſerint: ſintq; exemplares, charitatiui, & præcipuè amatores pacis, & Regularis obſeruantiæ: & tandem tales, quibus Abbas tutò poſsit ſuam conſcientiam committere, & in rebus arduis bono per eos iuvari conſilio. Volumus idcircò, quòd talis electio fiat per vota ſecreta, ſiuè de pręſentibus, ſiuè de abſentibus, & ſemel electi non poterunt à ſuo officio remoueri per tres annos abſque cauſæ cognitione, neque per Abbatem Prouincialem, & Diffinitores. Si autem electus officia, vel Prælatias alias in Religione obtinuerit, vel gradu Magiſterij erit decoratus, non poterit cogi, ſed in

*Cap. Cum ad Monaſt. 4. de ſtatu Monach. Reg. fuſ. diſp. c. 43.*

in ſua erit voluntate, tale officium acceptare.

2 Priores ergò ſtatim, ac fuerint electi in Monaſterijs vicem Prælatorũ in eorum abſẽtia, eo modo, quo illi diſpoſuerint, in omnibus gerant; ipſiq; omnia ea obſeruare teneantur, ad quę Prælati, ſi præſentes eſſent, tenerentur.

3 Item eorum officium erit omnibus horis, tàm diurnis, quàm nocturnis choro intereſſe, communi menſæ nunquàm deeſſe, omnibuſq; alijs obſeruantijs primùm omnium adeſſe. Ad illos etiam pertinebit obire loca Monaſterij, & ſolicitè curare, vt ſilentium locis, & horis debitis obſeruetur; culpas ordinarias, leues, & manifeſtas maximè in iuuenibus in abſentia etiam perſonali Abbatis reprehendere, & corrigere, de grauioribus verò Abbatem certiorem facere. Profeſſorum, qui extra Nouitiatum degunt, curam habebunt (ſi aliter Pręlatus expedire non iudicauerit) nec permittant eos diſcurrere per Monaſterium, ſed cogãt, vt in cellis ſuis maneãt, ſtudijs operã dẽt, & ſpiritualibus exercitijs ſe occupent, quatenus nunquàm ſint otioſi: cæteraque omnia, quæ

quæ à Prælato ſibi impoſita fuerint, diligenter adimplere ſtudeant.

4 Prælati verò quoties opus fuerit pro Monaſteriorum bono longè ab illis abeſſe; Prioribus declarabũt, quam eos velint authoritatem habere, ſiuê in ſpiritualibus, ſiuê in temporalibus: non tamen pro libito id faciant, ſed rationabiliter, & cum Dei timore, ac iuxta Regulæ, & Religionis ſtatuta. Subditi autem eam obedientiam, ac reuerentiam illis exhibeãt, quã Prælatis præſentibus exhiberẽt.

## CAP. XVIII.

*De numero Monachorum in quolibet Monaſterio, & de illorum mutatione ex vno in aliud, & ex vna in alteram Prouinciam, ac de filiatione.*

1 AD ſubleuandam Monaſteriorũ indigentiam, & Regularem obſeruantiam tuendam: decernimus, quòd in ſingulis Monaſterijs à Capitulo Prouinciali, certus Monachorum numerus conſtituatur,

&

& conſeruetur, qui ex proprijs illius redditibus, vel etiam ſingulorum eleemoſynis, alijſuè quibuſcumq; obuentionibus commodè poſsit ſubſtentari, & quòd in ſingulis Monaſterijs inpoſterum perpetua ſit filiatio. Qui quidem filiati, ex vno ad aliud Monaſterium ab Abbate Prouinciali mutari non poſsint, niſi cauſa cognita, vel manifeſtè corporum infirmitatis, ſeu publici ſcandali, vel neceſsitatis locorum, hoc eſt, ad Prælaturas, Nouitiorum, & Collegiorum Magiſteria, Lectorum, aut Prædicatorum Officia (dummodò dolus non ſit) quorum miniſterijs, & officijs expletis in domum ſuam quiſq; reuertetur: & teneantur Monaſteria, à quibus diſcedunt, & ad quæ acceſſerint vnumquodq; pro rata illis expenſas itineris ſubminiſtrare. Monachi verò ſecum deferant patentes obedientiæ literas, ac recto itinere, ad locum deputatum pergant, & per Monaſteria tranſeuntes à Superioribus omni humilitate, veluti eiuſdem corporis membra, recipiantur.

*Seſs. 25. de regu. cap. 3. Cap. Quoniam. 9. de vita, & honeſt. cler.*

2 Mutationes verò Monachorum ex vna in aliam Prouinciam non fiant, niſi per

Abbatem

Abbatem Generalem immediatè, vel de conſenſu amborum Prouincialium, cum licentia tamen Vicarij Generalis in ſcriptis danda; & de conſenſu Monachi qui mittendus eſt. Poſſint tamen vnius Prouinciæ Lectores, aut Prędicatores, vel actuantes, quando neceſsitas poſtulauerit, pro Religionis bono à Vicario Generali in alteram tranſmitti, vt mutua charitas, conſenſuſq; ſeruetur Religionis, illiſque omnia, quæ ad iter agendum, eorumque vitam neceſſaria erunt, cum Dei timore ab illa Prouincia ad quam pergunt ſubminiſtrentur. Inter Monachos verò vtriuſq; Prouinciæ, nec non Prouinciarum Italiæ, circa præcedentiæ locum in omnibus locis inter eos antiquitas Profeſsionis ſeruetur, ſiuè Superiores, ſiuè ſubditi fuerint.

3 Item declaramus, quòd quamuis decretũ hoc de filiatione, à die publicationis harum Conſtitutionum deinceps in omibus Monaſterijs obſeruari, & ab illis, qui ad habitum recipiuntur, practicari mandamus: non prohibemus tamen quin poſsint ex nunc filiari, qui velint ex Monachis iam profeſsis in ſin-

guli ſ Monaſterijs, exceptis Sācti Baſilij Matritenſis, Sancti Baſilij Hiſpalenſis, & Sāctæ Mariæ del Deſtierro Granatēſis; nè aliqua in Provincijs confuſio oriatur: relinquitur tamen arbitrio, & prudentia Abbatis Generalis ex iam profeſsis aliquos ſibi beneviſos in filios trium horum Monaſteriorum aſsignare, & fiat catalogus filiatorum in quolibet Monaſterio.

## CAP. XIX.

*De aliquibus, quæ Monachis conceduntur, & prohibentur.*

1 PRælati ipſi, etiam ad ſuorum Monaſtariorum negotia peragenda longè à Monaſterijs vltra viginti leucas, & ad breue tempus abſq; Abbatis Prouincialis licentia abeſſe non poterunt. Item, & Procuratibus quòquam proficiſcentibus longè a Monaſterijs vltra viginti leucas, & ſuis Monachis vltra decem licentiam concedere non poſsint. Volumus autem, vt ſimiles licentiæ

centię à Prælatis non pro eorum libito, ſed cum Dei timore ſuis Monachis ſubſcriptę ad certum breue, & limitatum tempus, & non niſi iuſtis de cauſis concedantur, &, ſi aliquem locum Monachis petere contigerit, vbi Monaſterium Ordinis ſit, teneantur recto tramite illius Monaſterij Superiorem adire, cauſamque ſui aduentus exponere, illique debitam obedientiam pręſtare, & niſi de licentia illius extra clauſtra Monaſterij pernoctare non valebunt.

2 Nullus præterea Monachorum (Abbatibus, & Procuratore Generali exceptis ob graviora tamen negotia) ad Abbatem Generalem, aut eius Vicarium, vel ad Abbatem Provincialem ſe conferat, niſi de ipſorum, quos adire velint, licentia in ſcriptis expreſſa. Quòd ſi quis aliter fecerit Superiorum arbitrio, pro vt culpa exegerit, punietur, etiam illum carceribus mancipando. Præterea quælibet venatio propter ſcandala, quæ ex illa oriuntur, Monachis interdicitur. Item ludus alearum pictarum, vel taxillorum, omniaquè armorum genera iuxta Sacrorum Canonum ſtatu-

*Cõcil. Later. ſub Innoc. nu. 3. cap. 26. Cap. Clerici 15. Cap. Clerici, 2. de vit. & honeſt. Cleric.*

ſub pœnis arbitrio Superioris infligendis.

## CAP. XX.

### *De Nouitiorum Magiſtris, & Nouitiatibus.*

1 MAgiſtri Nouitiorum qui pro tempore erūt ab Abbate Prouinciali, ſimul cum Diffinitoribus eligentur, ſintquè eiuſdem ętatis, & eaſdem habeāt conditiones, & requiſita, ac Abbates, ſint etiam doctrina, & quantùm per Superiorum diligētiam, & vires fieri poterit, vitæ quoq; anteactę exemplo præſtātes: orationis præterea, & mortificationum operibus dediti, prudentia, & charitate referti, & tales deniq; qui in omnibus ſe ipſos bonorum operum exemplum præbeant.

2 Nouitiorum Magiſtro, ſi pro Nouitiorum iſtruendorum multitudine neceſſarius fuerit ſocius moribus, & vita antedictis quoad fieri poterit, cōſimilis deputetur, qui in his, quæ ad Nouitiatus regimen ſpectant dicto

cto

ĉto Magiſtro immediatè ſubiectus exiſtat.

3 Habeat etiam Magiſter plenam, & abſolutam poteſtatem circa inſtructionem Novitiorum, ac Nouitiatus regimen; ita vt in illis nemini (Superioribus maioribus, vel etiam Abbatibus exceptis) ſe ingerere liceat quouis colore. Et quia Nouitiatus, Seminaria Religionis ſunt, & ad illam promouendam, & augendam plurimum prodeſt Nouitiorum bona inſtructio: hortamur propterea Prælatos, nè in conſulto Magiſtro, circa Nouitios, aut eorum directionem aliquid diſponere, aut facere audeant, & præcipuè ipſos Magiſtros foveant, & ſuo fungi munere concedant, ne ab alijs in contemptum habeantur. *Clem. VIII. in decret. de reform. Regul.*

4 Magiſtri Nouitiorum ab eorum officio amoueri non poſsint, niſi à Diffinitorio cum cauſa, valeant tamen illi ad Prælaturas, aliaquè officia aſſumi; dummodo ad ea aſſequenda requiſita iuxta Conſtitutiones habeant, non verò in Priores elegi.

5 Quod verò ad loci qualitatem cuiuſque Nouitiatus ſpectat: locus huiuſmodi propria clauſura ab ea parte Monaſterij, in qua

Pro-

*Regul. fuſ. diſp. cap. 15.*

Profeſsi degunt, ſeparatus ſit, atque diſtinctus, ad quem nemini vllo vnquam tempore ſub quouis prætextu aditus pateat: præterquam Magiſtro, eiuſque ſocio, ac etiam Monaſterij Superiori, ſi quando ingrediendum ſibi neceſſario exiſtimauerit, quo tamen caſu aliquem ex ſenioribus Monaſterij Patribus ſecum aſſumat. Huius loci clauſuræ clauis apud Magiſtrum ſemper ſeruetur, illique ſoli liceat, ex graui tamen cauſa, ingreſſum illùc alicui permittere. Huiuſmodi locus Nouitiatus habeat tot ad dormiendum cellulas ſeparatas, quot erunt numero Nouitij, vel dormitorium ita capax, vt pro ſingulis ſinguli lectuli commodè fieri poſsint: in quo, etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus pro Magiſtro, eiuſque ſocio reperiatur. In eo etiam (præter alias communes commoditates) aptus locus ſit, in quo hyemis tempore ad calefaciundum ſe igni communi recipiant. Oratorium inſuper, ſi commodè fieri poterit, ad ſpirituales conferẽtes faciendas, & ad Nouitios in ſpiritualibus, præſertim ceremonijs, & Eccleſiaſticis functionibus exercendos.

*Clem. VIII. vt ſup.*

De

# CAP. XXI.

## *De Nouitijs, & Nouitiatibus.*

1 NOuitij, qui pro tempore ad habitum admittendi erunt non niſi de licentia Abbatis Prouincialis, & cum conſenſu maioris partis Capituli Monaſteriorum in quibus recipiuntur, admittantur; ita tamen in eorum receptione declaretur: quiſnam in Choriſtam, vel in laicum recipiatur.

2 Omnia Monaſteria, quę Abbatiæ ſunt, & in quibus viget Regularis Obſeruantia (ſtāte filiatione) in domos, ſeu loca Nouitiatus aſsignamus, & deputamus.

3 Quoniam verò ad Religionis profectum plurimum refert vt venientes ad nos diligenti examine priùs adhibito admittantur. Ideò ſtrictè præcipiendo mandamus: quòd quantùm pertinet ad illorum probationem, ætatem, conditiones, & requiſita Regulæ S.P. N. Baſilij, & decreta Sacri Concilij Tridentini *Clem. VIII. vt ſup. ſeſs. 26. cap. 15.*

ſeruen-

ſeruentur. Ad quorum obſeruantiam ſedulò perquiratur à Prælatis de vniuſcuiuſq; natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita anteacta, de literatura, aut de illius addiſcendę ſpe, vt minores, & ſuis temporibus, maiores ordines recipere poſsint. Item qua mente, quo ſpiritu id regularis vitę genus elegerint, quem ſibi finem propoſuerint, num zelo perfectioris vitæ, an potiùs humano aliquo affectu ducantur, & an eorum parentes ope, & ſubſidio ipſorum indigentes, deſtituantur.

4 Etſi ſextumdecimum ætatis annum excedant, diligenter inquiratur, an criminoſi, an ære alieno grauati, vel reddendæ alicuius adminiſtrationis rationi obnoxij ſint iuxta formam Conſtitutionis Felic. Recordat. Sixti PP. V. & moderationum, & declarationum ſubſequtarum. De quibus omnibus antequam Nouitij ad habitum admittantur, teneantur Prælati ſub pœna priuationis officij informationem iuridicam facere, & non expectare vicinæ profeſsionis tempus. Approbationem informationum ad Abbatem Monaſterij cum ſuis Conſiliarijs tantùm pertinere declaramus, qui

qui de omnibus informationibus contentis examinare,& Capitulo Conuentuali rationē reddere tenentur, quod quidem Capitulum liberè pro ſuo arbitrio circa eorum receptionem per ſecreta ſuffragia cōſenſum præbeat, aut deneget. Oneramuſque conſcientias, tàm deputatorum, quàm Commiſſariorum, & Conuentualium, vt in Nouitiorum approbatione, tanquam in re magni ponderis, prudentiæ, & zelo Religionis ducantur.

5 De cætero non admittantur ad habitum illi, qui in eorū vultu, vel corpore, aliquo notabili ſigno fuerint deturpati, neque qui (Hiſpano idiomate) vocantur Mulatos, neq; ij, quorum parentes officia vilia, aut infamia exercuerint, neque deſcendentes ex parentibus per Sanctum Inquiſitionis Officium punitis, ſiuè à Iudeis, Sarracenis, Hæreticis, aut alterius ſectæ profeſſoribus vſque ad quartum gradum, nequè illegitimi, qui ex verò matrimonio non ſunt procreati, neque Religioſi profeſsi alterius Religionis; cum illegitimis poterit Diffinitorium per vota ſecreta omnia fauorabilia diſpenſare: Cum Religioſis

verò profeſsis alterius Religionis, Abbas Generalis tantummodo, & Capitulum Prouinciale per ſecreta ſuffragia concurrentibus duabus ex tribus votorum partibus

6 Nouitij antequam profeſsionē emittant, tribus vicibus pleno Conuentuali Capitulo proponantur, vt iudicium faciant Conuentuales de eorum vita, & moribus, & an digni ſint profeſsione. Proponantur verò pro prima, & ſecunda vice, quartoquoq; menſe, pro tertia tamen, duobus ante profeſsionem; quòd ſi à conſenſu maioris partis Capituli approbati erunt, recipiantur; ſin verò fuerint reprobati, ſtatim abſque eo quòd denuo proponatur (quam ſecundam propoſitionem interdicimus) expellentur, eorumque approbatio à Capitulo facta in libro, qui pœnes Prelatum, vel Magiſtrum Nouitiorum erit, ſcribatur.

*Seſſ. 25. cap. 16. C. cum cauſam in fine, de elect.*

7 Nouitijs durante Nouitiatus tempore vna cum Monachis, niſi in Choro, & Eccleſia, tempore officiorum, & in Refectorio cauſa refectionis commorari non permittatur, neque profeſſos domo exeuntes comitari, neque cellis, ſiuè particularibus perſonis,

qua-

quacumque fuerint dignitate decorati, inſeruire licitum ſit: Imo expreſſè prohibitum ſit Prælatis hoc permittere ſub pœnis ſuperiorum arbitrio infligendis.

8 Item nullus Monachorũ Nouitijs aliquid iniungere, vel eos corrigere audeat, ſi quis verò in illis aliquid culpabile deprehenderit Prælato, aut Magiſtro denuntiet, vel in Conuentuali Capitulo animaduertat. Semel autem receptus in vno Monaſterio, ſi à Nouitiatu receſſerit, vel expulſus fuerit non recipiatur in alio donec cõſtet de cauſa receſſus ex relatione, & peculiari informatione illius Monaſterij, in quo habitum priùs habuerit.

9 Ad hoc autem vt noſter Ordo fœlicia ſuſcipiat incrementa, & Nouitij non niſi benè probati ad Profeſsionem faciendam admittantur, admiſſique in humilitatis Spiritu Altiſsimo famulatum exhibeant: Superioribus, alijſque ad quos Nouitiorum admiſsio ad profeſsionem ſpectat: præſenti Conſtitutione mandamus, vt ſi eis videbitur, quod durante approbationis anno non ſint benè probati, dictum annum eorum arbitrio prorogent,

quo medio tempore, vel ad profeſsionem eos admittere, vel eijcere debeant. Quod dictum probationis annum Superiorum arbitrio ad benè Nouitios probandos prorogari poſsit.

*Seſs. 25. c. 16. §. Finito tempore.* Sac. Cong. Concilij ex mente fel. record. Pij PP. V. in illa verba Sacri Concilij Tridentini. Ita declarauit.

10 Hic aduertendum curaui, quod Nouitij poſſunt in articulo mortis profiteri vigore Conſtitutionis fel. record. Pij PP. V. Itē emittentes profeſsionem poſt probationis annum verè confeſsi, & pœnitentes, ac Sacra Communione refecti plenariam conſequantur Indulgentiam, vt Paulus Papa V. benignè conceſsit.

*Conſtitut. 109.*

*Conſtitut. 21. Romanus Pontifex.*

## CAP. XXII.

### *De Profeſsis, & profeſsione ab illis facienda.*

*C. ad Apoſtolic. de Regul. & C. non ſolum, eodem tit. in 6.*
*Seſs. 25. c. 15.*

1 POſteriori facta Nouitiorū approbatione per ſecreta ſuffragia, & elapſo Nouitiatus integro anno, ac expleto decimo ſexto ętatis ſuæ iuxta Decretum Sacri Concilij Tri-

Tridentini de Regularibus prçuio etiam examine, an cæremonias Eccleſiaſticas ſecundùm Religionis morem benè ſciuerint, ad profeſsionem admittantur, & vt meliùs in Obſeruantia Regularis diſciplinæ ſtabiliantur, volumus, illos in Nouitiatu ſub diſciplina Magiſtri Nouitiorum permanere quouſque Subdiaconatus Ordinem ſuſceperint, vel ſaltem per tres annos poſtquam profeſsionem emiſerint. Poterunt tamen eo tempore literarum ſtudio operam nauare in proprio cœnobio, vel ad Collegia mitti, vbi erit etiam locus ab antiquorum profeſſorum habitatione diſtinctus, ſecundi Nouitiatus, ſeu Profeſſorij ſub directione, aut Regimine Nouitiorum Magiſtri, vel perſonæ ab ipſomet Superiore deputandæ. *De Inſtitut. Monac. ſerm. 2.*

2 Profeſsione iam facta ſtatim in libro profeſsionum apponatur teſtimonium profeſsionis, quod ab ipſomet Religioſo profeſſo, Prælato, & Magiſtro Nouitiorum, alijſq; duobus ex Patribus, qui profeſsioni interfuerunt, ſubſcribatur: vt ſic teſtimonium prædictum ſi aliquando opportuerit, fidem integram faciat.

CAP.

## CAP. XXIII.

### *De Conuerſis, Donatis, & Oblatis.*

PRæter Nouitios Clericos Diuinis Officijs præcipuè mancipandos admittantur etiam in Religione Conuerſi, ſeu Laici, diuerſis operibus, aut ſeruitijs manualibus à Prelatis prout illis meliùs viſum fuerit deputandi. Ipſique etiam in probatione per annum ſint, & eo elapſo profeſsionem emittant, eo modo quo ſacri Canones decernunt, qua emiſſa per duos annos ſub Nouitiorum Magiſtri diſciplina erunt. Eorum locus à Clericorum Nouitiatu ad dormiendum, quantum commodè fieri poterit ſeparatus, aſsignari poterit; tamen, hac ſeparatione non obſtante Magiſtri Nouitiorum ſubditi eſſe, & obedientiam præſtare debebunt, à quibus pro eorum capacitate, & commoditate de Regula, quam profeſſuri ſunt diligenter iſtruendi erunt, quòd vt commodiùs fiat ad ſpiritualia colloquia, quæ per Magiſtros Nouitijs

uitijs fieri ſolent, accerſiri debeant; & in Eccleſijs Statutis horis conueniant; niſi tamen in ſua officia actualiter fuerint occupati. *Clem. 8. in decr. de reform.*

2 Conuerſi igitur eumdem habitum induent, ac Monachi Choriſtæ, non tamen Cucullam, quia cum ſit habitus diuino cultui conſecratus, illis omnino interdicitur, ſicut etiam corona, ſeu circulus Capillorum, quem ſoli Choriſtæ geſtabunt latitudinis vnius tantummodo digiti, qui quantum eſt ſpatium dimidij digiti ſupra aures emineat, & totum Caput circundet. Qui autem in laicum, ſiuè conuerſum fuerit receptus, ſiuè profeſſus nullo vnquam tempore ad ſtatum Clericalem tranſire, neque ordinibus, tum minoribus, tũ maioribus initiari poterit: Superior verò, ſiuè ſit Vicarius Generalis, ſiuè Abbas Prouincialis, ſiuè Capitulum Prouinciale, ſiuè Diffinitorium, qui talem facultatem dederit ſui officij vociſq; actiuę, & paſsiuę priuationem ipſo facto incurrat abſque alia declaratione: ordinatus verò, vltra priuationem perpetuam vocis actiuę, & paſsiuę, & inhabilitatem ad illam in poſterum obtinendam, etiam ab ordinibus

ſuſ-

ſuſpenſionem, non aliter, quam per ſedem Apoſtolicam diſpenſandã ipſo facto incurrat.

3 Præter Conuerſos recipiantur etiam illi, qui non ad effectum Religionem profitẽdi, ſed tantummodo ad effectum ſeruiendi Deo ſe donant. Huiuſmodi Donati vocantur. Qui vt à ſeculari habitu diſtinguãtur, induent veſtem nigri coloris eiuſdem materię, ac Monachi cum ſcapulario latitudinis vnius palmi abſque caputio.

4 Donati in Monaſterio vbi recipiuntur, per ſecreta ſuffragia ſicut cæteri admittãtur, ijque bonis moribus ſint inſtructi, honeſtiſque parentibus nati, & ſub directione Magiſtri Nouitiorum (quamuis extra Nouitiatũ) per annum ſint, à quo cum charitate in doctrina Chriſtiana, & via mandatorum Dei, alijſq; ſpiritualibus exercitijs, atq; etiam qu aliter ſe gerere debeant in ſua vocatione, & miniſterio inſtruantur.

5 Si autem per quinquennium in Religione laudabiliter fuerint conuerſati, & zelo perfectioris vitæ inter laicos annumerari petierint, poterunt Pręlati Conuentuali Capitulo

lo proponere, & habito per vota ſecreta illius conſenſu, ad habitum Nouitiatus, eoque expleto per annum ad profeſsionem ſeruata forma pro Nouitijs laicis præſcripta admittere.

6 Præter Laicos, & Donatos recipiantur etiam oblati, qui ſponte non ſolum ſe ipſos, verûm etiam, & ſua perpetuò offerent bona, eundemque habitum, ac Donati geſtabunt, ſcapulare dumtaxat quatuor palmorum longitudinis, & vnius latitudinis erit, & veſtis cuius longitudo infra genua per vnum palmum finiatur, & tam ipſi, quàm Donati omnium priuilegiorum, gratiarum, indulgentiarum, omniumque Religionis bonorum operum participes erunt.

## CAP. XXIV.

### *De promouendis ad Ordines, tum Minores, tum ſacros.*

1 ORdines eo modo, atque Ordine Monachi ſuſcipiant, quo decre-

*Seſs.23. cap 11. & 12.*

uit Sacroſanctum Concilium Tridentinum; approbati priùs ab Abbate Prouinciali, quæ quidem approbatio in ſcriptis ſigillo Religionis munita appareat. Primo anno poſt Profeſsionem minoribus initientur ordinibus, dummodo ceremonias Eccleſiaſticas, ſecundùm Religionis morem benè didicerint. Secundo, ordine Subdiaconatus dummodo in cantu (qui idiomatè Hiſpano dicitur canto llano) experti fuerint. Tertio, ordine Diaconatus. Quarto denique completo Sacerdotali Ordine, ætate tamen ſuffragante.

2 Ad Sacerdotium promoti, nulla ratione celebrent, antequam in Miſſæ ceremonijs iudicio Prælati ſint ſufficienter inſtructi, & priùs ſpiritualibus exercitijs per octo dies operam dabunt, vt conuenienter ſacroſancto Miniſterio ſe præparent.

De

## CAP. XXV.

*De Procuratoribus, eorumque Officio, & pecunia cuſtodienda, & inſumenda.*

1 PRocuratores Monaſteriorum ad res temporales tractandas per Capitulum Conuentuale deputandi tales eligantur, qui ordinem Sacerdotalem ſuſceperint, & in huiuſmodi officio inſtructi fuerint, nihilq; facient inconſulto Prelato, & ſemel ſaltem quolibet menſe de adminiſtratione officij ſibi impoſiti illi rationem reddent. Idemq; etiã faciãt ter ſaltẽ quolibet anno coram toto Conuentu. *Clem. VIII. in decr. de reform.*

2 Tota pecunia, quam, tum ipſi, tum alij ipſorum nomine exigent, ſtatim in communem arcam mittatur, in qua præterea cuſtodiri volumus pecuniam, quę aut ex redditibus Monaſterij, vel eleemoſynis, aut aliunde conſequetur; eadem arca tribus quoque ſeris diuerſis, & clauibus occludatur; quarum vnam Abbas, alteram Procurator, & alteram teneat eligendus à communitate.

Arca autem in Abbatis cella ſeruetur, neque Abbas ſolus, ſiue alius quicumque eam aperiat, ſed ſemper ſimul concurrant. Si verò aliquis ex Clauarijs abſens ſit, ſuppleat alter, quare Clauarij è domo exeuntes, aut ad communem arcam accedere non valentes, alicui ex Monachis illas tradant. Quando pecunia in arcam infertur, notetur in libro ad eam rem attributo: pari quoque ratione notabit, quanta ex ea deprometur, nec niſi pro rebus Monaſterio neceſſarijs inſumatur. Quidquid redditūum ad finem labentis anni ſuper fuerit communi Monaſterij vtilitati adſcribatur, prout neceſsitas poſtulauerit. Ipſis Procuratoribus nullo modo concedatur facultas generalis ad confitenda debita, ſeu ad bona Monaſterij obliganda, nec mutuo accipiendum.

4. Quod ſi aliquis ſiue Prelatus, ſiue ſubditus conuictus fuerit aliquam pecuniarum quantitatem, ſeu aliquid aliud pretij in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale ad Monaſterium eiuſq; perſonas pertinens vſurpaſſe, vel fraudem commiſiſſe, pœnis illis Superioris arbitrio pro qualitate culpæ puniatur. Si verò ſecun-

ſecunda vice fuerit in tali culpa deprehenſus, vel cõuictus, officio, & voce perpetuo careat, & pro qualitate furti (quod ſtatim reſtituere teneatur) puniatur. Si tertio in idem crimen inciderit: abſq, nulla ſpe diſpenſationis inhabilis prorſus ad dignitates, & officia in Religione obtinenda declaretur; alijſque pœnis prout Sacri Canones decernunt, afficiatur,

## CAP. XXVI.

### *De bonis Monaſteriorum cuſtodiendis, & non alienandis, & de Archiuis.*

1 SVperiores omnes diligenter inuigilent, quid ad bonum temporale Monaſteriorum ſpectet, ac proinde requirāt ſcripturas omnes, & publica inſtrumenta poſſeſsionum, redituum, legitimarum actionum, & quorumcumque aliorum bonorum illis quoquomodo pertinentium, & hæc omnia in Archiuo cuiuslibet Monaſterij debito ordine cuſtodiantur, ita ſanè, vt in promptu ſint,

quo-

quoties neceſſè fuerit. Similiter omnia debita, ita ſcribantur, vt omnium illorum nullo modo obliuio eſſe poſsit.

2 Statuimus etiam, ac ſtrictè præcipimus nullo vnquam tempore licitum eſſe Prælatis, illorumque Capitulis per ſe remittere, aut condonare, aut renunciare, aut componere bona, quæ Religioſis ex ligitima, vel hæreditario iure Paterno, vel Materno, aut quouis alio illis debentur, neque redditus, aut quæcumque alia bona Monaſteriorum immobilia pignorare, vendere, commutare, vel alienare. Alienationes verò, Commutationes, Cōpoſitiones, renunciationes, venditiones aliter factas declaramus eſſe nullas, & nullius valoris, aut roboris: ſuperiores verò cuiuſque ſtatus, ſeu cōditionis, qui preſenti Conſtitutioni contrauenerint in pœnam priuationis officiorum, vocíſque actiuę, & paſsiuę, ac perpetuæ in habilitatis ad alia obtinenda ipſo facto incurrant.

*Cap. Nulli liceat 5. & cap. ſi quis 6. de reb. Eccleſ. alien.*
*Cap Fraternitate. 2. de donat.*

3 Duo Archiua, in quibus omnes ſcripturæ ad negotia Prouinciarum ſpectantia aſſeruentur, confici mandamus vnum ſcilicet in

Mo-

Monaſterio S. Baſilij Matritenſis pro Prouincia Caſtellæ, alterum in Monaſterio Sancti Baſilij Hiſpalenſis pro Prouincia Bœthica, quodlibet autem horum Archiuorum duobus diuerſis clauibus claudatur, quorum vnā Abbas Prouincialis, alteram Abbas Monaſterij habebunt.

4 Nulla ſcriptura originalis ab Archiuo auferatur niſi de Abbatis Prouincialis mandato cum conſenſu Prælati. Cum autem ob vrgentem cauſam aliqua educta fuerit teſtimonium in Archiuo relinquatur, qua de cauſa, ad quod negotium, & in cuius manu tradita fuerit.

5 Preterea vnumquodque Monaſteriū particulare Archiuum ad ſcripturas illius aſſeruandas habeat, illudque ſimiliter duabus diuerſis clauibus claudatur, quarum vnam Abbas, & alteram Prior cuſtodiant; de quorū conſenſu ſcripturæ educantur, relicto etiam in Archiuo teſtimonio quemadmodū de Prouinciarum Archiuis dictum eſt.

## CAP. XXVII.

### *De Confeſſarijs, & Concionatoribus.*

IN ſingulis Monaſterijs deputentur Confeſſarij, qui doctrina, morum probitate, & vitæ integritate fuerint præcogniti, & ab Abbate Prouinciali præuio examine approbati, illius conſcientiam onerantes, vt nemini ad confeſsiones audiendas licentiam impertiatur; niſi priùs facta diligenti inquiſitione de moribus, & vita, & de doctrina, & ne obtẽta huiuſmodi licencia in ſtudijs remiſsius ſe gerant: volumus quòd ſiñgulis annis ab ipſomet Abbate Prouinciali, vel examinatoribus per eum deputandis, viſitationis tempore (niſi aliàs fuerint Abbates, aut Theologię Lectores) examinentur, qui ſi idonei fuerint, reperti approbentur, ſi verò aliter ab exercitio remoueantur.

*Seſs.23.cap.15.*

*Seſſ.23.cap.15.*

2 Caueant autem prædicti Confeſſarij ſecularium confeſsiones audire, niſi priùs ab Ordi-

Ordinarijs locorũ, ad præſcriptum Sacri Concilij Tridentini Decretum licentiam, & facultatem obtinuerint.

3 Euangelicæ prædicationis munus magnam in Miniſtris exigit probitatem, & ſcientiam. Quarè Diuinum Verbum prædicare nemo audeat, niſi priùs Philoſophiæ tribus annis, & Theologiæ ſaltem duobus operam dederit, & ab Abbate Prouinciali, vel ab alijs ab ipſo deſignatis, fuerit examinatus, & licentiam in ſcriptis obtinuerint.

*Concil. Later. vlt. ſeſſ. 15. de modo præd. C. excõmunicamus. §. Quia verò, de hæred. Seſſ. 2. de reform. c. 2.*

4 In ſingulis Monaſterijs deputetur per triennium per Capitulum Prouinciale Concionator Maior, qui omnes, & ſingulos ſermones ſibi à Pręlato commiſſos prædicare teneatur: eritq; exemptus à Choro, & ab alijs exercitijs, quę communiter dicuntur de Tabla. Alijs verò Prędicatoribus, qui in Eccleſijs tam noſtri Ordinis, quàm quorumcumque aliorum contionem habuerint, Prælati arbitrio (cuius conſcientiam oneramus) ad contionem faciendam concedatur exemptio à Choro, dummodo ad orationem mentalem cum cæteris conueniant.

## CAP. XXVIII.

### *De Collegijs, ac illorum Collegialibus, Lectoribus, alijſquè.*

1 QVoniam ignauia omnium errorum eſt Mater, & cuiuslibet ſtatus ruina, maximè ijs qui ſacris confeſsionibus, lectionibus, contionibus populum edocere debent. Propterea decernimus, vt in qualibet Prouincia duo deputentur Collegia ad Theologiam, & Philoſophiã addiſcendam: nimirum in Prouincia Bœthica Monaſterium Sancti Baſilij Hiſpalenſis, & Sanctæ Mariæ de Pace Cordubenſis, In Prouincia verò Caſtellę Monaſterium Sancti Baſilij Salmaticenſis, & Monaſterium Sancti Baſilij Complutenſis. Prò addiſcenda verò Grammatica in Prouincia Bœthica Monaſterium Sanctæ Crucis de Villanoua, & in Prouincia Caſtellæ Sanctæ Marię Remediorum de Bàrcena. Studiorum exercitia, & lectiones in his Collegijs incipiant à die decimaquinta Septembris,

bris, & terminentur in Vigilia Feſtiuitatis Sancti Patris Noſtri Baſilij.

2 In quolibet Collegio deputētur vnus Regens, tres Lectores, vnus ſcilicèt Philoſophię, reliqui Theologiæ, & vnus Magiſter Scholaſticorū. Verùm ſi his augeri videbitur, Cathedra Theologiæ moralis, aut expoſitivæ morè Scholaſtico arbitrio Capituli Prouincialis relinquitur. Officium Regentis erit ſtudia gubernare, lectionum horas diſponere. Ideò docti, & in literis verſati præficiantur, & qui literarum ſtudium cum pietatis ardore, & regularis diſciplinæ zelo coniunxerint, vt in omnibus doctrinam pariter, & exemplum poſsint præbere.

3 Lectores etiam ij deputentur, qui & literis, & virtutibus poſsint cæteros edocere. Lectores Philoſophiæ duabus lectionibus ſingulis diebus, manè ſcilicèt, & veſperè teneantur, omnibuſque diebus feriatis conferentiam habere hora per Regentem deſtinata, & octauo die, ſcilicet quolibet Sabbato, ſuper aliqua potiſsimùm quæſtione collationem habere debeant, & ſimiliter in vnoquoq;

 menſe

menſe lectionum omnium illo menſe diſpu-tatarum per ſingulos Scholaſticos repetitio fiat. Collationibus autem prædictis, tàm in hebdomada, quàm in menſe inuiolabiliter faciendis, non ſolùm Regens, & Lectores ar-gumentandi cauſa, ſed reliqui etiam Magiſtri intereſſe teneantur. Quilibet Philoſophiæ Lector ſaltem duobus actibus generalibus, nimirum, ſemel Logicæ, ac ſemel totius Phi-loſophiæ præſidere teneatur; quod ſi abſquè legitimo impedimento non præſideat (per impedimentum intelligimus carẽtiam Scho-laſticorum, ſeu Collegialium, qui concluſio-nes ſuſtentare non valent) pro qualibet omiſ-ſione vno anno ſuæ iam tranſactæ lecturæ priuetur. Similiter etiam de Lectoribus Theo logiæ intelligendum decernimus, tam quoad præſidentiam actuum generalium quolibet anno, quam collationes hebdomadæ, ac mẽ-ſis habendas. Quorum Primarius hora matu-tina, & Veſpertinus hora Veſpertina leget, hortamurque omnes, & ſingulos, vt vtiliores opiniones defendere ſtudeant, ne inutilibus, & poſtea delendis, reijciendiſq; opinionibus

operam

operam perdant; concluſiones verò, quę publicæ erunt defendendę per quoſcumque non priùs typis mandentur, quâm ab Abbate Prouinciali, ſimul cum Regente examinatæ, & approbatæ fuerint.

4 Magiſter ſcholaſticorum pro Theologis deſignandus ille erit, qui curſum Philoſophiæ legerit: Illius Officium eſt, viſitare Scholaſticos, illorumque dubia, & difficultates reſoluere, & explanare, ad recreationem Scholaſticos conducere, illos ſi opus fuerit corrigere, Lectore aliquo legitimê impedito loco illius lectionem facere, ac denique ſingulis annis actui publico præſidere, & Concluſionibus extra propria Monaſteria aſsiſtere, & arguere; quæ omnia ſi diligēter fuerint ab illo obſeruata, tempus huius exercitij idem omnino valeat, ac ſi actualiter legeret pro Magiſterij gradu conſequendo, & vacante aliqua cathedra abſque oppoſitione ad illam immediatè ſuccedat.

5 Singulis annis diligenter ab Abbate Prouinciali, Regente, Lectoribus, ac alijs per ipſum deputandis, omnes Scholaſtici, tam Philo-

Philoſophiæ, quam Theologiæ examinentur, & illi de quibus ob defectum virtutis, obſeruantiæ, bonæ valetudinis, literarum, aut cuiuſcumque alterius cauſæ non ſperatur debitus profectus, ſtatim à Collegio remoueantur: hoc tamen fiat per ſecreta Examinatorũ vota; & ſemel excluſus, iterum, neque in illo, neque in alio Collegio admittatur, niſi priùs conſtet, ceſſaſſe cauſas, quibus moti Examinatores ei ſtudium denegarunt.

6 Cathedræ, tam Philoſophiæ, quàm Theologiæ per oppoſitionem, ſeu concurſum conferantur, & votum habebunt ad dictam collationem faciendam Abbas Prouincialis, Monaſterij ſiuè Collegij Abbas, & Magiſtri qui ibi præſentes fuerint, ſiuè Conuentuales ſint, ſiuè non, & Lectores qui integrum Philoſophiæ curſum terminauerint, & fiet per vota ſecreta.

7 De cætero Lectores ſtatim, ac curſum ſuæ Lecturæ terminauerint à lectione ceſſabunt (ſi aliter Abbas Prouincialis non diſpoſuerit propter carentiam Lectoris, qui locum illius occupare poſsit). In Capitulo Prouinciali,

ciali, ſiuè Diffinitorio deputetur Lector, qui lectionem Sacræ Scripturæ, vel caſuum conſcientiæ bis in hebdomada præſcriptis diebus in ſingulis Monaſterijs habeat, ad quam Monachi omnes conueniant, eaque abſoluta mutua collatione circa explicatam doctrinam ſe ſe vtiliter exerceant.

## CAP. XXIX.

### *De Communi Bibliotheca, & Librorum Cuſtodia.*

1 IN omnibus noſtri Ordinis Monaſterijs, & præcipuè in Collegijs deſignatis, ſit Bibliotheca communis, in quà libri omnes reponantur, & deputetur à Prælato Bibliothecarius, qui eam diligenter adminiſtret, & libros ſecundùm eorum diuerſas facultates diſponat: eritque index de omnibus libris, qui ſemper in Bibliotheca ſeruetur. Liberumque ſit vnicuiquè ex Monachis cum facultate Superioris, in ſcriptis concedenda, ſciente id Bibliothecario cauſa ſtudij libros ab

ab ea extrahere. Religioſorum decedentium libros, ſtatuimus, vt in communi Bibliotheca illius Monaſterij, vbi deceſſerint, collocentur, neque eos poſsit ſibi Prælatus, neque alteri applicare: & vt libri in dies conſeruentur, & augeantur, præcipimus in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis maioris latæ ſententiæ, priuationiſque Officiorum, necnon vocis actiuæ, & paſsiuæ omnibus, & ſingulis, tàm Superioribus, quàm Inferioribus, ne quis eorum libros, ſiuè manu ſcriptos communi Bibliothecę deputatos, donare, vendere, & alienare ſub quouis prætextu, ſeu quęſito colore, vel ingenio audeat.

## CAP. XXX.

### *De Magiſtris.*

1 IN qualibet Prouincia non plures, quàm decẽ Magiſtri in Sacra Theologia in poſterum admittantur, octo videlicet ad titulum Cathedræ, & duo ad titulum prædicationis. Quod ſi plures fuerint promo-

ti,

ti,non gaudeant priuilegijs, & exemptionibus Magiſtrorum Prouinciæ,quouſque intra numerum aſsignatorum debitè annumerentur.

2 Quo circa non admittantur ad Magiſterij gradum de Cathedra, quin priùs per nouem annos,nempè tribus artes,& ſex Theologiam ſcholaſticam legerint,& octo actibus generalibus,videlicet duobus Artium, & ſex Theologiæ præfuerint, & per alios tres annos officium Regentis, vel loco Regentis, officiũ Lectoris inſuper vltra nouem prædictos annos, per alios tres non exercuerint, ſingulis quoque ex tribus annis actui publico præſidendo.

3 Ad Magiſterium verò ratione prędicationis non admittantur,quin priùs, tam intra, quàm extra Religionis Eccleſias, in celebrioribus Vniuerſitatibus, & Cathedralibus vniuſcuiuſque Prouinciæ cum acceptatione, & vtilitate populi ſaltem per ſexdecim annos Verbum Dei prædicauerint: & illis expletis, intra terminum viginti quatuor horarum per vnius horę ſpatium lectionem Sacræ Scrip-

turæ, prout illis caſu contigerit, & aſsignatā fuerit ab Abbate Prouinciali, ſimulque quatuor examinatoribus per illum deputandis, explicare, necnon intra alias viginti quatuor horas contionem ſuper Euangelium ab eiſdē aſsignatum facere teneantur, quorum approbatio, vel reprobatio per vota ſecreta fiet: in qua votum habebunt illi omnes, quos pro collatione Cathedræ numerauimus. Et de ſimili approbatione, ac de cæteris omnibus actibus poſsitiuis, tâm prædicationis, quàm lecturę teſtimonia authentica ab Abbate Prouinciali, & Diffinitoribus ſimul vnitis habere teneantur, illaque Abbati Generali tranſmittere (ad quem tantummodo promotio ad gradus Magiſterij ſpectat) vt illis conſideratis, aptioribus, & magis benemeritis ſimiles gradus conferantur; quibus obtentis, & in Magiſtrorum numerum admiſsi, ſtatim gaudeāt priuilegijs omnibus, quæ de iure, vel approbata conſuetudine cæteri Magiſtri in noſtra Religione vtuntur, potiuntur, & gaudent; abſque eo quod ab alio ſuperiore, quocumq; nomine nuncupato, vel ſubdito, directè, vel

indi-

indirectè impediri poſsint, vel perturbari in ſimilibus priuilegijs fruendis ſub pœna excomunicationis maioris latæ ſententię, & priuationis vocis actiuę, & paſsiuæ, officij, aliſque arbitrio Abbatis Generalis infligendis pœnis. Decretum verò hoc, nolumus intelligi de Magiſtris præſentibus, circa quos nihil innouari mandamus, ſed gaudeant eorum priuilegijs.

4 Et quia in vtraque Prouincia ſunt plures, quam decem Magiſtri, ad euitandas confuſiones fiat Cathalogus omnium Magiſtrorum, & declaretur, qui Magiſtri ſunt ſupranumerarij, & cui de numero Prouinciæ ad finem, vt decedente aliquo ipſorum de Prouincia, alter habens conditiones vt ſupra, eius loco ſubrogetur.

## CAP. XXXI.

### *De ſuffragijs & ſpolijs defunctorum.*

1 QVotieſcumque ex hac vita quis ad Dominum migrauerit, Prælatus Monaſterij in quo deceſsit ſtatim de illius morte Abbatem Prouincialem certiorem faciet: qui, nulla interpoſita mora ſingulis ſuæ Prouinciæ Prælatis, ac alterius Prouinciæ Abbati Prouinciali talem mortem denuntiabit, vt quam primum poſsibile ſit ſuffragia ſolita ab omnibus celebrentur.

2 Si obierit Abbas Generalis, in ſingulis vtriuſque Prouinciæ Monaſterijs ſex Miſſas cum vigilijs præcedentibus canentur pro illius anima: & quilibet Sacerdos vnam Miſſam celebrabit; Choriſtæ verò, ſex officia defunctorum integra, & fratres Laici, & Donati ſex integra Roſaria offerent pro illo.

3 Si verò obierit Vicarius Generalis, vel Abbas Prouincialis, vel aliquis Diffinitor, vel aliquis Abbas, pro anima vniuſcuiuſque dicto-

dictorum, in Monaſterijs in quibus deceſſerint, integrum defunctorum officium cum Miſſa in die obitus, & per octo ſequentes dies aliȩ octo Miſſȩ canantur; in ſingulis verò Monaſterijs tres Miſſæ Conuentuales, vigilijs præcedentibus concinentur; Sacerdotes verô ſinguli tres Miſſas celebrabunt, vt moris eſt. Choriſtæ tria integra defunctorum officia, & Laici, atque Donati tria integra Roſaria recitabunt.

4 Pro reliquis autem defunctis fratribus nouem Miſſæ in proprio Monaſterio canantur præcedentibus Vigilijs in die obitus: in alijs tamen Monaſterijs, duæ Miſſæ Conuentuales cum vigilijs, quilibet verò Sacerdos tres Miſſas celebrabit, Choriſtæ totidem defunctorum officia, & Laici cum Donatis totidem Roſaria recitabunt.

5 Pro Nouitijs defunctis, Donatis, & oblatis in Monaſterio in quo obierint, canatur Miſſa in die obitus cum vigilia præcedenti, & quilibet Sacerdos vnam Miſſam celebrabit, & in alijs Monaſterijs vna Miſſa Conuentualis cantabitur, Choriſtæ verô, & Laici,

vt ſuprà dictum eſt, preces perſoluent. Quando autem Choriſtæ, aut Laici pro defunctis officia, & Roſaria recitabunt in Choro Congregati aſsiſtente illis Nouitiorum Magiſtro, vel alio è Sacerdotibus per Prælatum deputando, id facient.

6 Vt autem inter has Prouincias mutua charitas ſeruetur: volumus, vt pro quolibet Monacho in vna Prouincia defuncto ſingula Monaſteria alterius Prouinciæ vnam Miſſam cantatam, & quilibet Sacerdos vnã Miſſam planam celebrare teneantur. Cæteri verò Choriſtæ, Laici, & Donati ſecundum cuiuſque ſtatum preces fundant.

7 Singulis ſecundis ferijs Miſſa pro animabus omnium defunctorum noſtri Ordinis in quolibet Monaſterio cantabitur, qua terminata, fiet proceſsio ſolita, reſponſoria canendo, cui omnes Monachi, nemine exẽpto interſint: quod ſi prædictus dies fuerit impeditus differatur officium ad primam diem non impeditam. Idem fiet in omnibus Capitulis eorum actionibus terminatis.

8 Spolia verò defunctorum videlicet

bona,

bona,quæcumq;illa fuerint, vel pecuniæ numeratę, quas, vel quæ apud ſe defunctus ad vſum retinebat, Monaſterijs, in quibus decedunt,applicentur. Bona verò quæ hęreditario iure, vel quocumq; alio titulo ad illos ſpectauerint, Monaſterijs in quibus profeſsionem emiſerunt,vel quorum filij erunt aſsignentur: &,vt dolus non ſit mandamus: Inuentarium bonorum omnium à Prælato Monaſterij, & in eius abſentia, à Præſidente, vel Priore Monaſterij,vna cum Conſiliarijs fideliter adnotari. Deinde hoc modo illius bona diſtribuentur.

9 Si medio ſui iuramento infirmus,antequam moriatur,dixerit, ſe ære alieno, vel alia obligatione eſſe grauatum, propterquam ad reſtitutionem teneatur, ante omnia Prælatus de conſenſu,& ſcientia Conſiliariorum,de ipſiſmet bonis ſatisfaciat,& pecunia,quę ex bonorum pretio remanſerit in communi arca reponatur, libri Bibliothecæ communi applicentur, panni linei, & veſtes, Monachis indigentibus diſtribuantur, vt tot Miſſæ pro eius anima celebrentur. Suppellectilia,ſi ad Diui-

num

num cultum pertinebunt, vel accomodari potuerunt, Sacriſtiæ donentur; ſecus autem, Monachorum cellis ad illorum vſum, & commoditatem; à Prælato cum Dei timore distribuantur.

10 Si tamen talis fuerit Monaſterij neceſsitas, ad illam ſubleuandam ſuppellectilia vendi poſſe permittimus, & ipſorum pretio illius neceſsitatibus ſubuenire. Curet ſuper omnia Prælatus, vt animæ illius defuncti prout poſsibile fuerit, ſuffragetur.

11 Hortamur tamen Abbates eorum conſcientiam onerantes, ſpolia prædicta non quomodocumq; erogentur, ſed charitatiuè, & pro Eccleſiaſticis ornamentis, fabricis Monaſteriorum, & Eccleſiarum, & præcipuè pro Nouitiatibus conſtruendis, vt pro Nouitijs educandis loci aptiores reddantur. Cæterùm Prelati de ſpolijs prædictis exactam rationem Abbati Prouinciali reddere teneantur.

12 Si verò ille, qui obierit, actualiter Vicarius Generalis, Abbas Prouincialis, Diffinitor, Procurator Generalis, vel Secretarius erit; quia totius Prouinciæ ſunt Superiores, eorum

ſpolia,

ſpolia, pro expenſis eiuſdem Prouinciæ applicentur, exceptis libris, qui in Bibliotheca reponi debent, & veſtibus, panniſque lineis, quę pro celebratione Miſſarum pro illius anima, vt ſupradictum eſt, diſpenſari debent.

13 Porro mandamus, quòd pecuniæ inde peruenientes in communi arca tribus clauibus cuſtodiantur, nec inde amoueantur niſi de conſenſu Abbatis Prouincialis, & Diffinitorum (apud quos erunt claues) Capitulo Prouinciali, ad quæ fuerint erogata, rationē exactè redditurì ſub pœna priuationis officiorum, vociſq; actiuæ, & paſsiuę contra facientibus.

14 Item pro patre, matre, fratre, & ſorore cuiuſque Monachi profeſsi in Monaſterio, cuius filius eſt, vna Miſſa cum reſponſorio canetur.

(o)

## CAP. XXXII.

### *De Vicario Generali, eiuſque officio, & poteſtate.*

1 CVm ad pacis conſeruationem, & Conſtitutionum harum obſeruãtiam tuendam, alijſque iuſtis de cauſis, in his Hiſpaniarum Prouincijs Vicarius Generalis neceſſario ſit deputandus, & eligendus, prout ſemper fuit; volumus propterea non omnes eligi, & deputari, ſed ille, qui merito vitæ, prudentia, & rerum agendarũ peritia ad id munus aſſequendum dignus fuerit; & in Religione prius Abbatis Prouincialis officio, vel Abbatiali dignitate fuerit decoratus, vel Magiſter in Sacra Theologia ſit laureatus; dictaque electio, vel deputatio ad Abbatem Generalem, ſuo arbitrio, & prudẽtia ſpectabit, ita vt Vicarius Generalis ad ipſius nutum amouibilis ſit.

2 Statim ac fuerit electus, vel deputatus ab omnibus, tam Superioribus, & Prælatis, quàm etiam ſubditis omnimoda obedientia, & re-

& reuerentia ac ipſimet Abbati Generali ei exhibeatur, atque in ſignum præeminentiæ omnibus in locis, primam ſedem occupabit, omnibuſq; preſidebit: Sigillum quoque Religionis, quo literæ, ſeu Scripturæ ad bonum Prouinciarum, & perſonarum earum, necnõ acta omnia, & ordinationes tempore viſitationis, vel extra æditæ muniri poſsint apud ſe ſemper habebit.

3 Vicario quoque Generali Monaſteriũ determinatum nullum ſit, ſed in quocumq; voluerit habitabit, curet tamen non vnum magis, quàm aliud grauari; ſed onus eum alẽdi, & ſuſtentandi omnibus illius Prouinciæ Monaſterijs in qua Prouincia moram fecerit æqualiter imponatur; taleq; ſit onus, vt illud Monaſteria ferre valeant, nempe quod ſatis ſit ad ipſius Secretarij, & vnius famuli victũ, & veſtitum, & ad alia, ſi quæ infirmitas occurrerit.

4 Vicarij Generalis officium erit omnia harum Prouinciarum Monaſteria ſemel in fine triennij viſitare: omnibus Capitulis Prouincialibus, & Intermedijs ſiue Diffinitorijs

perſonaliter intereſſe, & præeſſe, omniaque quæ in illis tractari debent proponere: totis viribus Conſtitutionum, & Regulæ obſeruãtiam curare, & inobedientes, & inobſeruantes iuris, & facti remedijs opportunis compellere; vt Monachi inter ſe pacem, & mutuam charitatem ſeruent toto conatu procurare. Iudicare in ſecunda inſtantia, illiſque qui per viam grauaminis ab Abbate Prouinciali appellauerint, iuſtiam miniſtrare.

5 Caueat verò Vicarius Generalis non ſe intromittere in officijs, neque in alijs, quæ iuxta Conſtitutiones ad Abbatem Prouincialem, alioſque officiales, & Prælatos ſpectant, & ad viam ambitionis omnino precludendã, & plurima incouenientia impedienda, quæ in Abbatis Prouincialis, aliorumq; officialiũ electione, Præſidentium poteſtate, euenire quandoque experientia docuit, in hærẽdo Decreto *Felic.* Recordat. Clementis Papæ octaui vſu recepto: prohibemus expreſsè Præſidẽtem in Capitulo, in quo præerit ad electiones ibi faciendas vocem paſsivam habere, tantũ actіvam habere permittimus.

6 Secretarius verò Vicarij Generalis ab ipſomet Vicario eligatur, talis, qui conditiones, & requiſita habeat, vt de Secretario Prouinciali dictum eſt. Eius officium erit viſitationes, ordinationes, ſcripturas, cæteraq; acta, quæ per Vicarium Generalem fient, vel de eius mandato ſcribere, & ad fidem faciendam ſubſcribere. Quando autem in Capitulis ſimul cum Secretario Prouinciæ conueniat, illorumque decreta ſiuè acta, vnuſquiſque eorum adnotabit, de quibus omnibus alijſque ſcripturis regiſtrum habebit. Ipſe ſub obediētia Vicarij Generalis immediatè erit, & eo abſente ſub obedientia Prælati.

## CAP. XXXIII.

### *De appellationibus.*

1 CVm natura humana facilis ſit ad malum, & multi ſtatus, & profeſſionis ſuę immemores, criminum plerumque ad euitandas pœnas, & Superiorum ſubterfugienda iudicia, quærimonijs, & appellationibus *Gloſſ. in cap. non putamus de conſuet. lib. 6.*

bus

bus vtendo, diſcordias, & litigia perquirant, & ſub prætextu iuſtitiæ, & appellationis diffugio abſq; Superiorum licentia à proprijs Monaſterijs diſcedendo, vagabundi incedant, ne remedio ad innocentiæ præſidium inſtituto, ad iniquitatis defenſionem abutantur, atque vt huiuſmodi eorum tergiuerſationi occurratur: ſtatuimus, à decretis, & præceptis Superiorum concernentibus morum correctionem, vel diſciplinæ Regularis obſeruantiam, cuiq; Monachorum appellare prohibitum ſit, nec Superiores tenebuntur huiuſmodi appellationibus deferre.

*Cap. Ad noſtram 3 de appell. ſeſ. 13. de reform. cap. 1. §. Cum igitur.*

2 Quod ſi quis de illato grauamine de vno ad alium noſtri Ordinis Superiorem in caſibus de iure licitis recurrendum eſſe cognouerit, per literas, vel per Nuntium id faciet: neque huiuſmodi literæ, vel nuntius, ſub pœna excõmunicationis maioris latæ ſententiæ, & perpetuæ ſuorum officiorum, vociſque priuationis ipſo facto incurrenda per aliquẽ, ſiuè Superiorem, ſiuè inferiorem, directè, vel indirectè impediri, vel retardari poſsint. Quod ſi perſonaliter, è Monaſterio abſque ſui Superioris

*Gloß. in cap. vbi ſupra.*

rioris licentia, in ſcriptis danda, diſcedat, per tres annos officio, ſi habuerit, & voce priuetur & Superioris arbitrio vt fugitibus puniatur; ſi verò literis, vel nuntio, Superiorem certiorem facere nequeat, & verè grauatum ſe ſenſerit, tũc coram duobus, vel tribus Monachis, â ſuo Superiore per ſupplicem libellum Superiorem maiorem adeundi cauſa recurſus, licentiam humiliter petat, qua petita, etiam non obtẽta Superiorem recto tramite adire licebit, & copiam ſupplicis libelli Superiori porrecti ſecum adducet. Porrò, ſi poſtea de illato grauamine non cõſtiterit, ac proinde appellationem fruſtratoriam fuiſſe, duplicetur pœna per primum Superiorem illata, abſque ſpè vlla diſpenſationis, vt ſcandalis, quę ex ſimilibus fugis, ſivè abſentijs ſequuntur, prorſus obuietur.

3 Et quia non nulli ad almam vrbem abſque Superiorum licentia ſępius fugiunt potius quàm recurrunt, ex quo Regularis diſciplina relaxatur, Pręlati contemnuntur, & ipſi in dies audaciores euadunt, præſenti decreto ſtatuimus: Quod ſi quis in poſterum temerè, & ex leui cauſa almam vrbem, ſeu Romanam

Curiam,

*S. Cong. in Decreto Quoniam non nulli. 1587. Et Cle. VIII. Decret. de reform. 1599.*

Curiam abſque ſui Superioris licentia, & non ſeruata priùs hac forma ( videlicet reccurrenda à grauamine Abbatis Conuentualis, ad Abbatem Prouincialem, ab Abbate Prouinciali, ad Vicarium Generalem, à Vicario Generali, ad Abbatem Generalem) adire præſumpſerit, ad ſuos eoſdem Superiores ſeueriori pœna plectendus remittatur.

## CAP. XXXIV.

### *De forma ſeruanda in ſtatuendis, & mutandis legibus, ſiué Conſtitutionibus.*

1 AD Capitulum Generale veluti ad Supremam ordinis poteſtatem pertinet leges, ſeu Conſtitutiones condere. Id tamen quàm rariſsimè fieri oportet, nè legũ multitudo ſubditorum animos obruat, atque confundat, & non niſi vrgentiſsima, euidentiſsimaque cauſa mutandæ ſunt, quia vt ait Dinus Thomas, leges humanorum actuũ ſunt menſura, actiones enim rectè dirigi non poſſunt,

*D. Thom. 1. 2. q. 40. art. 1. Senec. lib. 22. epiſt. 2.*

ſunt, ſi illarum menſura abſque neceſsitate varietur. Quare vt leges maturiùs deinceps condantur: ſtatuimus, vt quęlibet lex in his Prouincijs ſtabilienda, à duobus Capitulis Prouincialibus hoc ordine probari debeat.

2 Primò res de qua agitur, in Capitulis Prouincialibus proponenda eſt, & ſi à duobus ex tribus partibus vocalium fuerit recepta, ad Abbatem Generalem mittatur, vt ſi viſum ſibi fuerit, approbet; quæ ſi fuerit approbata, vt acta Capituli in illo triennio obligandi vim habeat. Proponatur eadem res, alia vice, in ſequenti Capitulo Prouinciali, in quo examinatis omnibus, penſatiſque rationibus, de ferenda lege maturius tractetur, & ſi ibi, concurrentibus tribus ex quatuor partibus, non fuerit recepta, extincta omnino remaneat; ſi verò fuerit approbata ad Capitulum Generale deferatur, a quo, ſi a maiori parte vocorum approbabitur, tunc executioni mādetur, & nomē legis, & Cōſtitutionis obtineat, & vt firma lex, & conſtitutio obligandi vim habeat: ſi verò, non fuerit approbata, omnino deleatur. Et idem volumus obſeruari, ſi ali-

qua ex legibus iam conſtitutis fuerit alteranda, mutanda, aut remouenda. Conſtitutiones verò, quæ de nouo inpoſterum fuerint ſtabilitæ, & approbatæ, vt omnes de illis plenã notitiam habeant, ſcribantur, vel imprimantur in libro Conſtitutionum Ordinis.

# SECVNDA PARS CONSTITVTIONVM.

## CAP. I.

*De his, quæ ad cultum Diuinum, & mores pertinent. De officio recitando, & diligentia in Choro ſeruanda.*

QVoniam mens hominis perfectius cum Deo coniungitur per ea, quæ directè ad eius cultum, & dilectionem referuntur, quàm per ea, quę externis actionibus, etiâm ad proximorum vtilitatem exercentur; maiorem etiam in his diligentiam, & attentionem adhibere neceſſe eſt; nam ſi quæ vel

vel corporis ſeruandi, vel proximi iuvandi cauſa fiunt, etiam illa ſunt ad Diuinum honorem referenda, iuxta illud Apoſtoli: Siue manducatis, ſiue bibitis, aut aliquid facitis, omnia in honorem Dei facite. Conſtat, maiori reuerentia, illa eſſe facienda, quę ad ipſius tantùm honorem immediatè diriguntur. Propterea, de Diuino Officio celebrando, atque cæteris ad Dei laudem, & honorem pertinentibus aliquid ſtatuendum videtur, huiuſmodi enim pietas, quę Dei cultus dicitur, admodum vtilis eſt. Qua propter ordinamus, Diuinum Officium, tam in Choro, quâm etiam priuatim ab omnibus magna cum reuerentia, deuotione & pauſa horis ſtatutis eſſe perſoluendum, & quod nullus à Choro excuſetur, niſi propter charitatem, iuſſu, aut permiſſu Superioris, quominus intereſſe poſsit impediatur. Quòd ſi forte aliquando Superiori de legitimo impedimento non expreſsè conſtiterit, curet qui ſic impeditur, aut per ſe, aut per alium ex ipſis Monachis, ſi ipſe non poteſt, vt eum certiorē faciat, nè ſub aliquo prætextu vagandi detur occaſio: cum Lectoribus tamen, & Magiſtris poterit Superior diſpenſare, idemque prę ſtare

*Clem. VIII. in decr. de reform.*

valeat cum ægrotis, ac ſtudiorum cauſa legitimè impeditis; nullus tamen ex prædictis (præter ægrotos) erit exemptus ab oratione mentali veſperè conſueta, neque a Diuinis Officijs in feſtiuitatibus ſolemnioribus, præcipuè in illis diebus, in quibus Sanctiſsimum Euchariſtię Sacramentum publicè adorationi exponitur.

2 In Choro verò omni ſilentio, reuerētia ſtetur deuotione, & cum timore: & illud, quòd ſcriptum ſemper præoculis habentes: In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus, & vt omnis mora tollatur eorum, qui tardè veniunt ad Chorum, ad hoc vt diligentes ſint, ea remedia adhibeantur, quibus in Regula cauſtum eſt ita, vt hoc Diuinum opus, omnibus rebus merito anteponēdum, opportunis remedijs taliter muniatur a Prælato, vt omnibus optimis modis, Diuinum Officium quâm diligentiſsimè celebretur. Proinde qui ſero veniunt ad Chorum, genibus flexis, tandiu ante altare maneant, quouſque à Superiore, vt ſurgant, ſignum factum fuerit.

De

## CAP. II.

### *De hora Diuini Officij celebrandi.*

1 HOrę Diuini Officij tam in die, quã in nocte à Pręlato cum Dei timore fideliter diuidantur, atque diſpenſentur: quatenus Diuinum Officium rectè, & perfectè celebretur: Iiſque, qui huiuſmodi operi interſunt pro aëris intemperie temporis, loci, aut perſonarum diuerſitate, ſic prouideatur, vt manifeſtum corporis detrimentum minimè patiantur, & id quod corde, hilariter etiam, & opere compleant: congruè tamen id fiet, ſi in Hyeme in ſecunda, & in Æſtate tertia hora poſt mediam noctem ſurgant. *Conſtit. Monaſt. cap. 15.*

2 In feſtiuitatibus verò primæ, & ſecundæ claſsis, aliiſque diebus feſtiuis, & Dominicis totius anni Officium Diuinum, & Miſſæ cum cantu celebrentur, vt moris eſt: in Collegijs in diebus feſtiuis Prima Tertia, & Veſperæ tantum canentur, & in reliquis diebus præter Officium Diuinum nullum aliud recitabitur.

tur. Cæterum ſeruetur in ſingulis Monaſtê-rijs laudabilis conſuetudo cantandi omnibus diebus in honorem Beatę Mariæ Virginis Salue Regina cum precibus, & Antiphona S. P. N. Baſilij, aliorumque Sanctorum, quorum in quolibet Monaſterio fit commemoratio: quibus addatur oratio pro Summo Pontifice, & Abbate Generali: & omnibus Sabbatis recitentur, ſeu canantur Litaniæ Sanctæ Mariæ Virginis.

## CAP. III.

### *De Miſſa Conuentuali.*

1 MIſſa vbi maior Congregatio Monachorum fuerit, quotidie cum cantu celebretur, niſi rationabiliter Superiori aliter viſum fuerit; vbi verò minus, quam ſex numero fuerint, ipſius diſcretioni relinquitur, an cantanda, an verò ſubmiſſa voce celebranda. Deputetur huic operi, vt rectè, ac deuotè adimpleatur, à Prælato ad id, aliquis quàm maximè peritus cum titulo Vicarij Chori, cu-

ius

ius munus eritChorum regere, Monachoſque in tonum redigere, vt Deus glorificetur, & audientes ædificentur.

## CAP. IV.

### *De Oratione mentali.*

1 CIrca orationem mentalem, quotidie faciendam, Superiores, iuxta Regulam, de hora, atque duratione, ſicuti eis melius viſum fuerit, diſponant: hortamur tamen, vt manè ante primam, per horę ſpatium, & poſt Completorium per aliam horam, oratio fiat inChoro, vbi magno, tam animi, quam corporis ſilentio genibus flexis; ſi commodè fieri poterit, pręmiſſaque Antiphona, Veni Sãcte Spiritus, lectio aliqua deuote recitabitur, quæ materiã præbeat meditationis: qua finita, omnes ſpiritu, & Veritate mẽte erecta in Deũ, orabunt: In Collegijs verò, ſtudiorum cauſa, dimidiam horam manè, aliamque dimidiam horam veſpere habebunt. *Conſtit. Monaſt. cap. 2.*

*De*

## CAP. V.

### *De Sacramento Confeſsionis, & Communionis ſuſcipiendo.*

1 CVm orationis aſsiduitate, ad maiorem animarum profectum, coniungendus eſt frequens Sacramentorum vſus. Volumus propterea, quod Choriſtæ, Laici, & Donati de omnibus ſuis peccatis, coram legitimo, & approbato Confeſſario, confeſsionem humiliter faciant in ſolemnitatibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, Beatiſsimæ Virginis Mariæ, Sanctorum Apoſtolorum, Sancti Michaelis Archangeli, omnium Sanctorum, Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ, aliiſque diebus ſolemnioribus, & omnibus Dominicis anni, necnon in feſtiuitatibus S. P. N. Baſilij, Sancti Gregorij Nazianzeni, Sancti Athanaſij, & Sancti Ioannis Chriſoſtomi; ac omni cum deuotione, prædictis diebus, in Miſſa maiori (niſi ob aliquam cauſam à Prçlato aliter fuerit determinatum) Sacram Euchariſtiam ſuſcipiant; qua-

quatenus ij ſufficienter armati, ad cætera peragenda, inimico humani generis depreſſo, alacriores in poſterum fiant. Idemque intelligendum eſt de Nouitijs; horũ autem confeſſionem, aliorumque, qui Nouitiatui ſunt addicti, audiat tantũmodo Magiſter Nouitiorum, vel eius Socius, de licentia tamen illius (ſalua in hoc auctoritate Prælati, ac Abbatis Prouincialis) verùm bis, aut ter in anno à Prælato ad illorum ſpirituale ſolatium ex probioribus, & dignioribus Monaſterij Patribus Confeſſatij, quibus tutò poſsint ſuam conſcientiam manifeſtare, concedantur.

*Cle. Ne in agro. §. ſanè, de ſtat. Monach.*

*Seſſ. 25. cap. 10. de Reg.*

## CAP. VI.

### *De Caſuum reſeruatione.*

1 POſsint Prælati iuxta Sacros Canones, potiſsimùm Concilij Tridentini, pro ædificatione, & vtilitate animarum, quoſdam caſus, Epiſcopis præſertim de iure reſeruatos, ſibi etiam reſeruare, ac alios etiam, ſi id viderint pro animarum ſalute prodeſſe,

non tamen multos, nè fortè contingat animas propter nimiam caſuum reſeruationem miſerabiliter irretiri. Immo eos in Domino hortamur, in his etiam caſibus Epiſcopis de iure reſeruatis, quoties opus fuerit, & à ſubditis fuerint requiſiti pro vtilitate, ac ſalute animarum, nè auſteri, verùm benigni maximè ſint: vt inimicus humani generis de illorum auſteritate non rideat. Præcipuè verò Decretum Sanctiſsimi Domini noſtri Clementis PP. VIII. obſeruare curabunt, cuius tenoris eſt.

*Decretum Sanctiſsimi Domini N. Clementis PP. VIII. ſuper caſuum reſeruatione ab omnibus Regularium Superioribus obſeruandum.*

1 SAnctiſsimus Dominus noſter, qui iam pridem accuratè perpendit, ac re ipſa comperit, quòd reſeruatio facultatis abſoluendi Religioſos pœnitentes à peccatis quibuſdam grauioribus, niſi Superiores admodũ pru-

prudenter, & moderatè illa vtantur: non nullos infirmiores, qui interdum Superiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant, adducere poſſet in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedij deſperationem: Ideô vt huic malo ſanctitas ſua opportunè proſpiceret, decreuit, vt nemo ex regularium Superioribus, peccatorum abſolutionem ſibi reſeruet, exceptis his, quæ ſequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquo iudicauerint.

2 Veneficia, incantationes, ſortilegia, Apoſtaſia à Religione ſiuè habitu dimiſſo, ſiuè retento, quando eo peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij ſeu Conuentus fiat egreſsio Nocturna, ac furtiua è Monaſterio ſeu Conuentu, egreſsio etiam non animo apoſtatandi facta: Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. Iuramentum falſum in iudicio Regulari, ſeu legitimo. Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto. Falſificatio manus, aut ſigilli officialium Monaſterij aut Conuentus. Furtum de rebus Monaſterij ſeu Conuentus in

ea quantitate, quę ſit peccatum mortale. Lapſus carnis voluntarius conſumatus opere. Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſio cuiuſquam perſonæ. Malitioſum impedimentum, ſeu retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, aut ab inferioribus ad Superiores.

3 Si quod aliud præterea peccatum graue, pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientię puritate, reſeruandum videbitur, id nõ aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura diſcuſione, & conſenſu.

4 Non liceat Superioribus, Regularium confeſsiones audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſſerint, aut ipſimet ſubditi ſpontæ, & proprio motu id ab ijs petierint.

5 Superiores in ſingulis domibus duos, tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero maiori, vel minori deputent: Ij que ſint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reſeruatis eos abſoluãt, & quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur, quando

caſus

caſus occurrerit, in quo eam debere committi, ipſe in primis Confeſſarius iudicauerit.

6 Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarij, qui poſtea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligētiſsimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſsione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

7 Licebit autem, Superiori determinare pœnitentias graues, quibuſdam peccatis etiam non reſeruatis, à Confeſſarijs imponendas, quæ ſubditos ab huiuſmodi perpetrandis cohibere poſsint. Atque ita per quoſcumque Regularium Superiores, quicumque illi ſint, obſeruari mandauit: non obſtantibus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum, die 26. Maij, anno Domini 1593.

## CAP. VII.

*De Capitulo culparum habendo qualibet feria ſexta.*

1 PRælatus qualibet feria ſexta ſemper Capitulũ culparum habere ſtudeat, eoque

eoque Monachi omnes (Superioribus exceptis) ad ſonum campanulæ poſt primam conuenient: omneſquè ſigillatim humiliter flexis genibus coram illo, de ſuis defectibus exterius commiſsis, cum magna humilitate ſe accuſent. Superior verò, prout opus fuerit, admonendos admoneat, increpandos increpet, & corrigendos pro animarum vtilitate, cum charitate tamen, corrigat. Subditi autem prompto animo, & cum omni humilitate quæcumque à Superioribus iuxta præcepta Dei, & S. P. N. Baſilij Regulam, illis fuerint ordinata, ſiuè impoſita, tanquam medicinalia quædam remedia ad languores animæ curandos ſuſcipiant. Ipſis etiam in omnibus tanquam Dei vices in Monaſterium gerentibus, & pro ſalute illorum vigilantibus pro Chriſti amore obediant.

*Seſſ. 25. de reformat. cap. 1.*

2 Nullus in Capitulo loquatur, niſi vel culpam ſuam dicendo, vel Prælato ad interrogata reſpondendo, neque præſumat culpam ſuam, vel alterius defendere, quòd ſi quis cum accuſatur, vel reprehenditur impatienter, vel temerè reſpondeat ſtatim diſciplina Conuen-

tuali

turali irremiſsibiliter, vel alia pœna Prælati arbitrio puniatur. Nullus qui in Capitulo de defectibus qui ibi manifeſtantur ridere audeat, ſed potius compatiatur, & pro eis oret.

3 Omnia enim de quibus in Capitulis agitur, ab omnibus omnino ſecretum ſeruetur: ſi quis verò ſecreta Capituli, quæcumquè illa ſint, ſæcularibus reuelauerit, ſeuerè vt culpa exegerit puniatur.

4 Oneramus Zelatorum conſcientias, vt culpas leues, quas in Religioſis viderint, eas cum charitate, & ſimpliciter in Capitulo, vel extra Prælato denuncient, & ſimiliter omnes Sacerdotes hortamur in Domino, vt culpas quas inter ſe cognouerint cum charitate ſibi inuicem aduertant.

## CAP. VIII.

### *De Ieiunijs, communi flagellatione, alijsque mortificationibus ſeruandis.*

1 QVoniam autem ad ſeruandam honeſtatem, & continentiam pluri- *Seſ. 25. de delect. cib. & ieiun.*

mum

mium confert corporis maceratio, ob eam cauſam, &, vt arctiorem (quemadmodum Religioſos viros decet) quam cæteri de ſæculo ſobrietatis rationem teneamus. Præter ieiunia quadrageſsimæ, vigiliarum, & quatuor temporum præcepto Eccleſiæ ab omnibus inuiolabiliter ſeruanda: ſtatuimus etiam in Aduentu Domini, vſque ad feſtum Natiuitatis excluſiuè, quotidie (Dominicis exceptis) nec non qualibet feria ſexta totius anni circulo, & in nouem Vigilijs feſtiuitatum Beatæ Mariæ Virginis, Corporis Chriſti, & S. P. N. Baſilij ab omnibus eſſe ieiunandum. De cæteris verò ieiunijs, quæ quiſque priuatim pro ſua deuotione ſeruare ſolet, permittimus vnicuique ſuam laudabilem tenere conſuetudinem.

2 Præter ieiunia, volumus etiam quòd feria quarta, & ſexta tempore Aduentus; In Quadrageſsima verò, ſecunda, quarta, & ſexta feria, & in toto anno ſingulis ferijs ſextis omnes in loco congruo vniti, diſciplinam ſeu flagellationem facere teneantur, & tandiu duret quouſque recitentur pſalmi *Miſerere mei, & de profundis*, cum orationibus de Sancta

Maria,

Maria, pro peccatis, pro Pontifice, Rege, & pace in noſtra Religione ſervanda. Verùm ſi in dictis ferijs, feſtum nimis ſolemne, nempe, primę claſsis venerit, poterit Prælatus circa flagellationem diſpenſare, ſicut, & circa ieiunium Conſtitutionis in ferijs ſextis tempore Paſchali, & quando occurrerit aliqua feſtiuitas ex ſolemnioribus.

## CAP. IX.

### *De eſu carnium, & de ſobrietate in cibo, potuque ſeruanda.*

1 ESum carnium non omnino prohibemus; quemadmodum nec S. P. Baſilius expreſsê prohibet; ſed, quia ipſe ſãctus Pater, penè ſemper, ad cibi, potuſque ſobrietatem hortatur: idcirco, ſtatuendum cẽſemus, vt non ad oblectamentum, ſed valetudinem, & vires ſuſtentandas, eſu carnium vtatur, prout melius ſuperior diſpoſuerit. *Conſt. Monaſt. cap. 5. & 26.*

2 Caueant tamen omni diligentia, ne Corda manducantium crapula, aut ebrietate *De Inſt. Monac. ſer. 1. & hom. in ebrieta. & luxu.*

grauentur. Ideò vinum nec omnino reſpuendum, neque, ſi neceſsitas non vrgeat, aſſumendum erit, pręcipuè à iunioribus, Prælatorum ergo prudentiæ, relinquitur illis licentiã concedere, vt vinum parcè bibant, eoque cum moderamine vtantur.

3 In Refectorio æqualia fercula, æqualia condimenta quoad numerum, qualitatem, & quantitatem omnibus, tàm Prælatis, quàm ſubditis, ſine perſonarum acceptatione miniſtrentur, neque aliquid diuerſum, neque diuersè cõditum, niſi de Prælati diſpenſatione ſub pœna comedendi panem, & aquam, tàm danti, quàm recipienti aſsignetur; ſub qua pœna omnibus in ſecunda menſa comedentibus, ne alijs alimentis vtantur, quàm in prima mẽſa, diſtrictè præcipimus. Quos in Domino hortamur, vt ſimul ad veſcẽdum in prima menſa (quantum fieri poſsit) cum alijs tempore prędeterminato conveniant. Ad quam, qui facta benedictione veniunt, in vltimo loco poſt omnes ſui ſtatus indiſpenſabiliter ſedebunt, hoc eſt, ſi Sacerdotes fuerint, poſt omnes Sacerdotes, & ſi Choriſtæ, poſt omnes Choriſtas.

4 Extranei verò, maximè ſæculares, magna à Nobis adhiberi cautio debet, vt raro, & cautè ad Refectorium admittantur. Menſæ verò, vt ſtatui noſtro ſecundum paupertatem, quam profeſsi ſumus conueniant, ex mappis ex craſſiori linteo, vrceolis, & reliquis vaſis ex ordinario luto ornatę erunt. Attendantque Prælati, vt munditiei, & compoſsitioni Religioſæ in Refectorijs maximè inuigilēt, ita vt omnia deuotionem, decentiam, & ornatum, iuxta noſtrum ſtatum redoleant. *Regul. fuſ. diſp. cap. 20.*

5 Si autem (quod Deus auertat) aliquis, cum notabili ſcandalo, in abominabile ſcelus ebrietatis deprehenſus fuerit, procuret Prælatus fraterna correctione emendationem illius: ſi verò reinciderit teſtes adhibeat, corripiatque, & aliquali pœnitentia ſalutari illum afficiat: quòd ſi correptus, & admonitus non ſe emendauerit, & de dicto ſcelere fuerit coram pluribus conuictus; abſque alio iudicio, & abſque alio proceſſu, ſeu informatione iuridica, officio, & gradu (ſi habuerit) & voce actiua, & paſſiua priuètur, & inhabilis ad illa, & alia officia, & gradus in Religione dari ſolitos, remaneat: &, *Diſt. 35 c. vinolentum, c. luxurioſa, c. venter, cap. Epiſcopus. Conc. Later. ſub Innoc. III. cap. 15 Cap. à Crapula, & ebriet. 14. de vit. & honeſt. Cleric.*

prout opus fuerit, ieiunijs, & alijs pœnis afficiatur; etiam ſuſpenſione à Diuinis, vt corda ab ebrietate abſtineat, & vltimum locum poſt omnes ſui ſtatus tenebit. Si verò talis delinquẽs laicus erit priuetur ſcapulario, & caputio, & carceribus, in ieiunio panis, & aquæ mancipetur, & ſi non ſe emendauerit, neq; debita emendatio ſperari poterit alijs pœnis Diffinitorij arbitrio, prout culpa exegerit, irremiſsibiliter puniatur.

## CAP. X.

### *De Lectione ad menſam.*

*Reg. breu. num.* 183.

1 AD menſam interim, dum Monachi cibũ capiũt, iuxta Regulã nullo pacto deſit lectio Sacrę Scripturę, aut alicuius ſpiritualis ſermonis, ſiuè lingua Latina, ſiuè vulgari, vt meliùs ſuperioribus videbitur: & vbi maior Congregatio Monachorum fuerit, continuò legatur à principio vſque ad finem, etiam in ſecunda menſa, ſin autem minor fuerit, ſaltem in principio, & fine, ſecundum Superioris diſpo-

diſpoſitionem. Quotidie verò addatur aliquid de Regula ad lectionem menſæ, quatenus ſimul, & corde, & corpore, cibo vtriſque conuenien te paſcantur, ac iuxta Regulam, quàm rectiſsimè actiones ſuas dirigere poſsint: Singulis verò hebdomadis ſecundùm ordinem conſtituantur, & Miniſtri, & Lectores ad mẽſam, & ad officia cõmunia, ita vt omnes, & ſinguli ſuo ordine legant: & Monachis inſeruiãt. *Ibidem.*

2 Ad officia, quæ vocantur communiter de Tabula, non conſtituantur, neque Magiſtri neque Lectores, neque Prædicatores maiores, neque illi, qui fuerint Abbates, aut Diffinitores, neque, qui in Religione per triginta annos profeſsionem emiſerint. Verùm in Monaſterijs vbi ſufficiens numerus Monachorum non erit, & neceſsitas poſtulauerit, hæc diſpenſatio Prælati arbitrio remittitur.

## CAP. XI.

### *De Silentio ſeruando.*

CVm iuſtitię cultus ſilentium ſit, omni tempore, & loco, maximè verò in Choro, *Regul. fuſ. diſp. cap. 13.*

ro, Dormitorio, atque Refectorio, ſemper ſi-leant Monachi, niſi forſitan Superioribus cauſa honeſtæ recreationis quibuſdam diebus aliter in menſa viſum fuerit; quæ quidem honeſtę recreationes ſemel in hebdomada concedātur, & extra Refectorium fient in loco ad id opportuno, ſecundùm diſpoſitionem Superiorũ, quatenus opus ſpirituale inceptum ſtrenuè perficiatur: Silentio quoque poſt prandium, & cęnam vacent niſi Superior, rationabiliter tamen prout viderit expedire, aliter diſpoſuerit.

2 Cœterum vbicumque Monachi colloquium habebunt, curandum illis eſt, vt caueāt à multiloquio, clamore, & riſu indecoro, nec non à ſcurilibus, & dicacibus verbis, & ſtudeant, vt eorum ſermones ſint Religioſi, & pij, non contentioſi, vani, & ſæculares, Sanctorum Hieronymi, & Bernardi dictum recēſentes: Inter Sæculares nugæ, nugę ſunt, in ore autem Sacerdotis blaſphemiæ.

*Conſt. Monaſt. cap.12. & 14.*

3 Si quis tam loquax erit, qui ſui ſtatus immemor, ſcienter, & malitioſè ſecreta noſtrę Religionis, eiuſque Monaſteriorum, & perſonarum defectus, & culpas ex quibus mala opinio,

nió, vel diffamatio apud extraneos (ſcilicet qui de noſtro ordine nõ ſunt) oriatur, reuelare pręſumpſerit, tanquam Religionis abortivus filius, officio, ſi habuerit, voceq; actiua, & paſsiua per tres annos priuetur, & per tres menſes carceribus tradatur, & vltimus poſt omnes profeſsos ſui ſtatus durante pœnitentia ſedeat.

4 Si quis verò in re notabili aliquem infamauerit (dummodo infamia ſit notabilis, & perſona non ſit aliàs de eodem crimine diffamata) aut iniurijs, alijſuè opprobrijs, ſiue in abſentia, ſiuè in præſentia grauiter affecerit, in terram, quot diebus Superiori videbitur, in ſignum ſuæ deteſtabilis linguæ, comedat, & ſecũdùm delicti menſuram (penſata qualitate perſonæ & infamiæ) erit & punitionis modus, & ante omnia illius famam reſtituere compellatur.

5 Quamuis peruerſorum iniquitas, & infamia nulla poſsit aliquando ordinatione, & punitione præcludi; tamen de opportuno remedio, quantùm ad nos ſpectat, ad ſimilia ſcelera euitanda prouidere tenemur. Præcipimus igitur omnibus & ſingulis Monachis cuiuſcũque

que conditionis ſint, in meritò ſanctæ Obediẽtiæ, & in ſubſidium ſub pœna excõmunicationis maioris latæ ſententiæ, ne quis eorum per rithmos, cantilenas, aut quaſuis ſchedulas, vel literas ſine nomine, & cognomine proprio, vel libellos famoſos, aut deſcriptiones in quouis loco, etiam in parietibus deſignatas aliquem diffamare, vel conuitijs afficere audeat quouis modo. Quòd ſi quis tanta peruerſitate, & diabolica ſugeſtione fuerit obcæcatus, vt contra hoc præceptum quouis modo facere preſumpſerit, ex nunc pro tunc non ſolum preſenti Cõſtitutione, & decreto, excõmunicationis maioris vinculo innodamus, ſed ſi de tali delicto conſtiterit, reum, non ſolum officio, ſeu dignitate, & voce, & loco priuamus, & inhabilem ad illa aſſequanda in poſterùm reddimus. Sed Conuentualibus diſciplinis, alijſque pœnis. Superiorum arbitrio infligendis, abſque vlla diſpenſatione puniatur, & tanquam infamis ad teſtimonium preſtandum nullatenus admittatur, nec in viſitationibus vocetur ad deponendum, & ſi caſu admiſſus fuerit, eius depoſitionem nullius roboris, & valoris eſſe declaramus.

6 Si-

6 Similibus cenſuris, & pœnis irremiſsibiliter innodari præſenti decreto, volumus, & ſtatuimus, illos, qui contra Monachum aliquē, ſiuè Superiorem, ſiuè ſubditum, coram aliquo Superiore, Prælato, officiali, vel iudice non ſolū intra, ſed etiam extra Religionem falſum teſtimonium reddere, ſeu dare, ſeu inducere, vel dari facere, vel falſo iurare, ſeu iurare facere auſi fuerint. *L. Falſidi cap. 1. de crim. falſ.*

7 Cæterùm ſi quis de crimine aliquo coram Superiore aliquem accuſauerit, & in probatione defecerit pœnam ſubeat Talionis.

## CAP. XII.

### *De Clauſura Monaſteriorum ſeruanda, de Cuſtodia Ianuæ, & de ijs, qui exeunt à Monaſterio.*

1 VT honeſtatis pulcritudo ad contemplandum apta, & Deo, & Angelis maximè accepta illibata poſſe cōſeruetur: Ordinamus, atque diſtrictè præcipimus, ſub pœna, priuationis officij, atque dignitatis, ſi *Conſt. Monac. cap. 4.*

R Præ-

Prælati neglexerint, vt clauſura Monaſteriorũ, è Superioribus limitanda (extra quam ſub pœna carceris nulli egredi liceat abſque licentia Superioris) omnibus horis cuſtodiatur; & potiſſimum in nocte, taliter vndique claudatur, vt ſcandalum quo ad fieri poterit, minimè oriri poſsit: clauesque penes Prælatum ſint, vel eum, cui ipſe commiſerit; idque vt meliùs fiat deputentur per Prælatos Monaſteriorum in quolibet Monaſterio Ianitores ex ipſis Monachis, ętate atque aſpectu graues, prudentes etiam ad excipienda, & reſcipienda reſponſa, qui iuxta portam diù, noctùq; habitent, atque dormiant, & oſtium ſemper clauſum teneant, nullumque intro admittant, niſi priùs habita licentia à Superiore: ſi tamen fuerint perſonæ alicuius dignitatis, eorum prudentiæ relinquitur, vt eas intro recipere poſsint, circa portæ atrium, ne fortè de nimia auſteritate ſcandelizentur.

*De Inſt. Monac. ſerm. 2.*

*De Inſt. Monac. ſerm. 1. In Reg. Breu. num. 97.*

2 Mulieres autem cuiuſcumque ſtatus, conditionis, & dignitatis exiſtant, iuxta Conſtitutiones Sanctæ memoriæ Pij PP. V. & Gregorij PP. VIII. & Vrbani VIII. & ſub cenſuris, & pœnis in eis contentis intra ſepta Monaſterij

*De Inſt. Monac. ſerm. 1.*

rij nullatenùs admittantur; In Eccleſiam verò, ingredi poſsint, ibique Diuina Officia audire, modò Eccleſiæ extra clauſtra fuerint.

3 Nulli etiam liceat extra clauſtra dormire, nocte præſertim, niſi in itinere Conſtitutus, qui de die non ſperant veriſimiliter ad Monaſterium poſſe peruenire: Ordinamus etiam, ne Monachi cauſa, ſeu prætextu conſãguineos viſendi; aut alicuius negotij peragendi; crebrò è Monaſterio egrediantur, & ſi de Prælati licentia è Monaſterio exeant ſoli non incedant; verum ſociati ſecundum Superiorum diſpoſitionem, per Ciuitates etiam, aut Caſtella incedentes Pallio, aut Cucullâ induti ſint. *Conſtit. Monaſt. cap. 8.*

4 Quando verò Monachi conſociati è Monaſterio exeunt, nullatenus vnus, ab alio ſegregari audeat, pergendo vnus ad aliquem locum, & ſocium in alia parte relinquendo: &, qui huic mandato contrauenerint, per mẽſem è Monaſterio non exeant.

5 Exeuntu de nocte extra Clauſuram Monaſterij abſque licentia pro prima vice vnius menſis, pro ſecũda quatuor, & pro tertia vnius anni pœna carceris infligatur, maneatque pri-

natus voto actiuo, & paſsiuo quouſque habilitetur per Abbatem Generalem, & durante pœnitentia ſemel in hebdomada in pane, & aqua ieiunet.

## CAP. XIII.

### *De Apoſtatis, & Fugitiuis.*

*Cap. vt periculoſa 2. de Religioſis domibus.*

1 LIcet conſiderata ratione Apoſtaſiæ, ille Apoſtata tãtùm iudicari debeat, qui habitum ſuæ Religionis temerè reliquit, vel etiam cum habitu à Religione receſsit cum animo deliberato non reuertendi; imo retrocedendi à Religione. Nihilominus tamen poſtquam S. C. Tridentinum prohibendo ſtatuit, ne quis Regularis à ſuo Conuentu recederet, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eis miſſus, aut vocatus fuiſſet: Et ſi quis, ſine prædicto mandato in ſcriptis obtento, repertus fuiſſet ab Ordinarijs locorum, tanquam deſertor ſui inſtituti, puniretur; declaramus igitur (ad coercendam fugitiuorum inſolẽtiam) in Religione, quo ad pœnas infligendas, eos cẽſen-

*Seſſ. 25. cap. 4.*

ſendos apoſtatas, qui contra Superiorum Obedientiam, vel etiam ſine eorum licentia, cum habitu, vel ſine habitu cum intentione redeundi ad Monaſterium, ſiue non, quocumque prætextu extra ſua Monaſteria vagantur, & volumus quòd ſi quis ſine prædicta licentia à Religione, vel Monaſterio diſcedere, aut fugere præſumat: ſi infra octauam diem non redierit maneat excōmunicatus. Eadem etiam cenſura, & pœna ſtatim feriantur, extra Monaſterium nocte egredientes. Quòd ſi tranſactis octo diebus â die receſſus apoſtatæ, non reuerſus fuerit, Prælatus congregato Capitulo Conuentuali eum apoſtatam, & excommunicatum publicè denunciet, vt & cæteri timorem habeant, & Deum pro eius Spirituali ſalute deprecentur.

2 Præcipimus inſuper vt ſtatim, ac quis ê Monaſterio ſine licentia diſceſſerit: Prælatus certiorem faciat, tam Vicarium Generalem, quàm Abbatem Prouincialem diem exitus, & occaſionem receſſus, vt ipſi iudicent, an in via alio ſe diuerterit; & non tantùm cum ad Superiores creditur tendere, ſed in omni euentu ſciant tempus; quo ê Monaſterio abeſt.

3 Apoſ-

3 Apoſtatæ, ſiuè fugitiui, ſi illorum miſerii, & pœnitentia ducti; redierint pro prima vice, ſcapulis denudatis, virgis à Prælato, vel ab alio coram omnibus abſoluantur, deinde carceribus per menſem mancipentur, & bis in hebdomada in Refectorio genibus flexis pane, & aqua reficiantur, & in fine ſui reatus veniam petentes, patrum precibus humiliter ſe commendēt, per tres annos voce priuentur, & loco. Quòd ſi ſecundò apoſtatauerint, duplicentur pœnæ. Si autem ad tertiam apoſtaſiam deuenerint, in carceres per annum detrudantur, & ſeruentur decreta S. C. C. iuſſu Vrbani VIII. ędita, de apoſtatis, & eiectis, & tanquam incorrigibiles eijciantur, vel, iuxta qualitatem delictorum ad trirèmes damnentur.

*Decr. S. C. C. 21. Setembr. 1624.*

4 Statuimus inſuper, quòd ſi receptores, qui ſecundùm regulam, poſſunt ſupradictos recipere, quales ſunt Prælati, vel alij Superiores; prędictam formam in recipiendis Apoſtatis nō ſeruauerint, officio, & voce priuentur.

5 Si autem aliquis ab vno Monaſterio in aliud eiuſdem Prouinciæ, abſque licentia iuerit pro prima vice in cella maneat clauſus, & diſciplina

plina, vel alia pœnitentia afficiatur; pro ſecunda vice duplicetur pœna, & per tres annos voce priuatus exiſtat. Tertia verò diſceſsio huiuſmodi pro prima Apoſtaſia habeatur, & iudicetur, & ſic de inceps.

## CAP. XIV.

### *De Modeſtia, & Religioſitate ſeruanda, in veſtitu verbis, & actionibus.*

1 MOnachi honeſtatem, & Religioſam modeſtiam in rebus omnibus vbique ſeruent; neque eam ſolum in corde, & animo retineant, ſed etiam exteriùs, in veſtitu, ſermone, vultu, corporis motu, actionibuſque omnibus extrinſecis Religioſitas, vt par eſt, appareat. Corripiantur à Superioribus qui ſecùs fecerint, & puniantur etiam pro culpæ grauitate, non modò carcere ad arbitrium Regiminis, ſed etiam alijs pœnis vt ſacri Canones decernunt,

*De Inſt. Monac. ſer. 1. Cap. vidua 20. q. 1. Cap. ſanctimoniales, diſt. 23. Regul. fuſ. diſp. cap. 27.*

2 Si verò aliquis pacem, & concordiam, per contentiones, & rixas violare præſumpſerit,

*De inſt. Monaſt. ſerm. 2.*

rit, & bis ter vè monitus, ceſſare noluerit, Prælati arbitrio prout culpa exegerit puniatur, & pro bono pacis, de illo ad aliud Monaſterium mutetur.

*Cap. ſi quis. ſu ad diab. 17. q. 1. Cap. ſi quis 1. de Clerico percuſſore.*

3 Si verò violentas manus alteri iniecerit, & ſuadente diabolo illum notabiliter percuſſerit, ipſo facto denuncietur excommunicatus, carceribuſque tradatur, alijſque pœnis pro qualitate, & circunſtantia delicti, perſonæ, temporis, & loci prout ſacri Canones decernunt, afficiatur: & ſi in idem crimen ſecundò inciderit duplicetur pœna, inhabiliſque ad obtinendum officia in Religione perpetuò maneat, & ſi vel tertio inciderit, vel aliunde eius pertinacia fuerit cognita per annum in carceribus detrudatur in ieiunio, & Pœnitentijs, & ſeruata forma decretorum S. C. C. tanquam incorrigibilis eijciatur, vt cæteri, illius exemplo, non modo non contaminentur, verùm etiam prudentiores in poſterum reddantur.

4 Item ſi quis falſificauerit literas Superiorum, hoc eſt, demerit, vel addiderit aliquid in eis, quòd ſenſum, & tenorem literarum mutet, & eorundem ſigilla falſa confecerit, illum

*Ca. novimus 27. de verb. ſignific. Cap. Ad falſariis 7. de crim. falſ.*

ex

ex nunc pro tunc trina canonica monitione præmiſſa in his ſcriptis excommunicationis maioris vinculo innodamus, ac voce perpetuò priuamus, & prout caſus fuerit, ſecundùm ſacros Canones, puniatur. Iiſdē cenſuris, & pœnis ſubiaceat, qui publica inſtrumenta in fauorem Religionis, ac alicuius particularis Monaſterij deſtruere, alienare, ſeu occultare auſus fuerit.

5 Item, ſi quis literas Superiorum ad inferiores, vel inferiorum ad Superiores ſcienter aperire, vel malitioſè per ſe, vel per alium, directè, vel indirectè detinere, vel retardare præſumpſerit, non ſolùm ſententiam excommunicationis maioris latæ ſententiæ, quam in his ſcriptis ferimus ipſo facto abſque alia declaratione incurrat; ſed officio, ſi habuerit, & voce, & loco per tres annos priuetur, & ſi culpa exegerit, carceribus etiam tradatur. Aperientes verò ſcienter, vel malitioſè retardantes, impedientes, detinentes, directè, vel indirectè Monachorùm literas, tam eas, quas ipſi ad alios miſſerint, quàm illas, quæ ad ipſos ab alijs mittentur; ſupra nudam terram ſedentes; pro qualibet vice, pane, & aqua reficiantur, & per duos annos voce, & loco priuentur.

6 Quoniam finis præcepti charitas eſt, Monachi mutuam inter ſe charitatem habere debent, non ita tamen, vt duo, tres vè ſeorſum á cæteris ſodalitatem inter ſe coeant, quando quidem hæc non charitas eſt, ſed ſeditio, & diuiſio. Pręcipimus igitur omnibus, & ſingulis, tàm Superioribus, quàm inferioribus, vt nemo illorum, iuramento, aut fide pręſtita, colligationem, aut confederationem, quòd ſibi mutuò non deficiant in ſuis actionibus, & defenſionibus, & huiuſmodi quæ notam conſpirationis oſtendunt, facere præſumat. Si quis verò per conſpirationem, coniurationem, & colligationem aduerſùs aliquam perſonam, pręcipuè cõtra Superiorem, aliquod malum machinatus fuerit, non ſolùm excommunicationis maioris ſententia, quàm præſenti Decreto ferimus, ex nunc, pro tunc innodatus exiſtat, verùm etiam officio, ſi habuerit, & voce, Superioris arbitrio, priuetur, & per menſem in cella recludatur, & ab ea non exeat niſi bis in hebdomada feria ſecunda, & ſexta tempore prandij, & tunc in Refectorio recto tramite accedens, in terra ſuper pauimentum nudum, pane, & aqua humiliter veſ-

*Conſt. Monaſt. cap. 30.*

veſcatur, finitoque prandio ad cellam iterum redeat: & nullus, ſub eadem pœna ſe coniungere, & loqui audeat, neque ipſe alteri: & ſi ob talem conſpirationem, vel coniurationem aliquis Monachus, vel Monaſterium malum, ſiuè detrimentum, vel ſcandalum notabile patiatur, duplicetur pœna, & inhabilis ad officia Congregationis aſſequenda perpetuò exiſtat.

2 Vt autem omnium paci, & vnitate cōſulatur, præcipimus in merito ſanctæ obedientiæ, & inuiolabiliter obſeruari mandamus, vt illi, qui inuenti fuerint eſſe tanquam duces, & capita factionum, diuiſionum, ſeu partialitatum, ſiuè de hoc probabiliter fuerint ſuſpecti, ab illo Monaſterio ſtatim expellantur, & vt verbis mèt S. P. N. Baſilij vtar. Tanquam oues peſtilentia contactę ſegregandæ; ſed ſi de hoc fuerint conuicti, non ſolúm è Monaſterio expellantur, ſed per ſexſenium officio, voce, & loco indiſpenſabiliter priuentur. Et ſi, durante pœnitentia, emendationis ſigna non dederint, non ſolùm officio, ſi habuerint, ſed etiam voce priuentur, & inhabiles declarentur perpetuò ad officia quęcumque obtinenda, & in vltimo loco poſt *Conſt. Monaſtic. cap. 30.*

omnes ſui ſtatus ſedebunt. Et illi, qui tales defendere, vel eis auxilium, ſeu fauorem præbere præſumpſerint, voce actiua, & paſsiua priuentur, vel alijs pœnis Superiorum arbitrio plectantur.

## CAP. XV.

### *De Obedientia voto ſeruando.*

*Conſtit. Monaſt. cap. 23. & 20. Seſſ. 25. de refor. cap. 1.*

1 Religioſorum vota, in quibus tota illorum virtus, & perfectio ſita eſt, pre cœteris quibuſuis alijs obſeruantijs proſequenda, ſummaque cura ſeruanda ſunt: præcipuè verò, ſanctam obedientiam omnes ſeruare ſtudeant, & Superiores, non vt homines, ſed loco Chriſti Domini habentes vniuerſa eorum mandata implere intendant, tanquam ſi à Deo cœlitus fuiſſent emanata: Propterea decernimus, vt Religioſi omnes ſuis Prælatis in omnibus obediant, neque vlla ratione ab obedientia præſtanda excuſentur, qui enim illos audiunt, Deum remuneratorem audient, qui verò contemnunt, Deum ipſum vltorem ſentient.

*Cap. quiſquis. q. 3. diſt. Cap. quia frater 7 q. 1.*

2 Si

2 Si aliquis (quod Deus auertat) eo mali- *De Inſt. Monac. ſerm. 1*
tiæ, & proteruiæ deuenerit, vt Prelati Chriſti
vicem gerentis reuerentiam grauiter offende-
rit, prout culpa requiſierit, ſeuerè puniatur: &
quælibet alia irreuerentiæ culpa, etiam ſilentis
appareat, nullatenus impunita remaneat, ne
honor, & reuerentia Prælatis debita, non ſine
magno diſciplinæ regularis detrimento conta-
minetur.

3 Si quis à Superiore correptus, ſuperbia
ductus, culpam ſuam non agnouerit, vel pœ-
nam à Prelato impoſitam ſubire noluerit, Præ-
latus intra propriam cellam eum includi præci-
piat, & poſtea in manſuetudine, vt ait Apoſto- *2. Thim. 2.*
lus, eum corripiens, mittat ad eum ſucceſsiuè
aliquis ex ſenioribus, qui pijs ſermonibus, & *Regul. fuſ. diſp. cap. 50.*
blandis exhortationibus ad ſatisfactionem illũ
inducant. Si autem ipſe expectatus per diem, &
noctem, exhortatus primò, ſecundò, & tertiò,
obſtinati cordis extiterit, ſatisfacere, obedire,
vel ſe cognoſcere nolens: Prælatus in carcerem
eum conijci faciat, vbi ſecunda, quarta, & ſexta
feria in pane, & aqua ſine diſpenſatione ieiunet,
quouſque reſipiſcat. Cùm verò ſe pœnituerit,
&

& culpam ſuam agnouerit, è carceribus educatur, & pœna culpæ commiſſæ debita ſecundũ Conſtitutiones puniatur. Et idem ſtatuimus de illis, qui contra Superiores ſe erexerint, vel eorum officium impediendo, vel eorum formalia præcepta, ab illis in ſcriptis prolata, tranſgredientur.

## CAP. XVI.

### *De Caſtitatis voto cuſtodiendo.*

1 PEr Caſtitatis votum Angelicam quodammodo in terris aſſequimur puritatem, & licèt Caſtitas, in corde præcipuè, retinenda ſit, exteriùs etiam ſenſibus illam oportet colere: quare omnes ſtudeant, omni tempore, ac loco eam modeſtiam præ ſe ferre, vt pudici oculi, & pudica lingua ſigna ſint interioris puritatis. Puniantur itaque à Superioribus pro culpæ qualitate, qui verba inhoneſta, aut turpitudinem ſignificantia quoquomodo, ex ore pretulerint, vt alij illorum malo exemplo non contaminentur.

*De Inſt. Monac. ſerm. 1.*

2 Qui

2 Qui voti à ſe emiſsi, & profeſsionis ſuæ oblitus per lapſum carnis in ſecundam perſonam conſumatè deliquèrit, ac manifeſtè conuictus, vel confeſsus fuerit, & officio, & voce per triennium careat, & etiam iuxta grauioris criminis genus, & iuxta agrauantes circuſtantias grauioribus etiam pęnis plecti volumus, ita ſcilicet, vt iuxta menſuram delicti ſit, & punitionis modus, & ſi in idem peccatum dennuò labatur: duplicetur pœna. Si verò monitus, & correctus non ſe emendauerit, & cum notabili ſcãdalo, in tali ſcelere perſeuerauerit, non modo inhabilis ad quaſcumque dignitates, & officia fiat, verùm taliter comprimatur per ieiunia, & carceris cuſtodiam, vt, & ipſe eo modo, quo poſsibile fuerit, ſaluetur, & cæteri cauti in poſterum reddantur.

*Conc. Later. ſub Innoc. 3. cap. 14. C. cum omnibus, cap. volumus, ca. fœminas 8. diſt. 1. cum mut. ſeq. de reb. Cler. & mulier. Seſſ. 24. cap. 8 cap. vt Clerici. de vit. & honeſt. Cleric.*

3 Et quia in huiuſmodi peccatis, rarò plena probatio adhiberi poteſt, pręcipimus Superioribus in merito Sãctę Obediẽtiæ, vt ſtatim, ac aliquem iudicauerint de mala familiariate ſufficienter ſuſpectum, vel vehementer inditiatum, illius ſaluti conſulentes, denegent ipſi, quæ alias cęteris Religioſis concedi ſolent, vt ordi-

nes ſuſcipere, ſtudêre, legere, prædicare, confeſſiones audire, & è Monaſterio exire, & ſuper omnia, in alium Monaſterium huiuſmodi ſuſpectos mutent, quos Prælati vt ab illa familiaritate deſiſtant ſeriò admonebunt.

## CAP. XVII.

### *De Voto paupertatis.*

*Conſtit. Monaſt. cap. 35.*

1 QVoniam autem paupertatem vitam in Monaſterijs, dum viuimus, gerere, & abſque vlla rei cuiuſquam proprietate viuere iuxta Regulam S.P.N. Baſilij promiſsimus, coram Deo, & Sanctis eius: ſtatuimus, ſub pœnis, & cenſuris in Sacris Canonibus contentis, vt nemo in Monaſterijs quidquam propriũ apud ſe habere præſumat, neque in pecunia, neque in redditibus, neque omnino in re vlla ſibi quidquam retineat, quod ei commodè ad victum, & veſtitum neceſſaria poſsit ſubminiſtrare: omnia enim à Superiore, & habere, & ſperare debet, & cum illius licentia, benedictione, & voluntate tenêre. Poterunt tamen Prelati in pecunijs, &

*Seſſ. 25. de Regul. cap. 2. Cap. cum ad Monaſt. 4. de ſt. Mon. De hoc art. vide S. Tho. 2. 2. q. 88. artic. 11. & Turrecremat. in Cap. de illo Cleric. 32. diſt.*

(rebus

rebus (ſi quas aliqui Monachi habent) cum ijs diſpenſare (ne fortè maius malum oriatur) vt ea pauperibus Parentibus, aut conſanguineis distribuant, vel ſuis ſuppleant neceſsitatibus.

2 Prælati autem ſub pœna priuationis officiorum ſic Monachis res Monaſteriorum ſub miniſtrent, ac diſtribuāt, vt nihil deſit illis, quòd neceſſarium ſit ad victum, & veſtitùm, neque in hoc excuſationem vllam habeant, neque adducere poſsint: &, ſi neceſſarium ad victum & veſtitùm, non ſubminiſtrauerint, ipſo facto priuentur Abbatia, & inhabiles ad aliam conſequendam, cœteraque Religionis officia reddātur. Idque etiam facere teneantur in rebus alijs omnibus, quas minimè ab alijs ſperare Monachi debent.

3 Porrò vt paupertatis votum integrè ſeruetur, & deteſtandum nobis, & omnibus Religioſis proprietatis vitium procùl arceatur, ſtrictè præcipimus, vt ad minùs, ſingulis annis ſemel in hebdomada maiori (& quotiès a ſuis Prelatis fuerint requiſiti) eis denunciare, in ſcriptis, vel voce, quidquid in cellis, vel alibi ad eorum vſum, Monachi habent, reſignare, teneantur.

Qui verò, Superioribus, & Pręlatis aliquid celauerit, vt proprietarius, iuxta qualitatem delicti, ſeuerè puniatur.

*Cap. cum ad Monaſt. 4. de ſtat. Monach.*

## CAP. XVIII.

### *De Veſtimentis, & rebus alijs, quæ ſubminiſtrare Monachis neceſſe eſt.*

*Conſtit. Monaſt. cap. 31.*

*Reg. fuſ. diſput. cap. 22.*

1 VEſtimenta Monachis congruis temporibus à Prælato, benigno, & grato animo dentur, prout vnicuique, iuxta Regulam, opus fuerit, vt omnis murmurandi occaſio euitetur. Veſtimenta ſint eiuſdem formæ, ac eiuſdem coloris, maximè extrinſeca, præter Abbatem Generalem, qui vbiquè pro officio mantelectum, & muzettam geſtabit.

*Seſſ. 14. de Reform. cap. 6.*

2 Interiora verò poſsint eſſe honeſtè colorata, ita tamen, quod partes quæ exterius apparent, diuerſum colorem ab exteriori habitu non oſtendant, vt in omnibus, vndequaque idē ſemper appareat, & quemadmodum eiuſdem debent eſſe voluntatis, ita ſint ijdem omnes in veſtitu. Cucullam etiam habeant, quam feſti-

uis diebus ſecundùm conſuetudinem; Prima, Tertia, Miſſa, Veſperis, & Proceſsionibus, aliiſque functionibus, portare debent, maximè cum per ciuitates ambulauerint.

## CAP. XIX.

### *De Communi labore, & opere.*

1 AD communes labores, & opera, cõmuniaque exercitia omnes ſimul accurrant, vt, quia communis iuxta Regulam debet eſſe illorum vita, communiter etiam perficiatur ab omnibus, quidquid viſum fuerit, & quod ab vno expleri non poteſt, ab omnibus ſimul expleatur. *Reg. fuſ. diſp. 37. 42. 53. Conſtit. Monaſt. cap. 4. aliàs 5.*

2 Ad tollendos igitur ſcrupulos circa cõmunem occupationem, manuumque laborem declaramus, omnes benè occupatos eſſe, vnumquemque in ſuo miniſterio, dummodo obediẽtia præceperit illis intereſſe: mandamus tamen omnibus, & ſingulis harum Prouinciarum Monachis, vt omnes ſecundùm Superioris diſpoſitionem (neminè excepto) elaborare teneantur

in rebus domeſticis, vel in hortis, aut alijs ſimilibus Prælati arbitrio.

## CAP. XX.

### *De diſtribuendis in qualibet Monaſterio officijs, ac de illorum Conſiliarijs, & Zelatoribus.*

*Reg. breu. cap. 112. & 114.*

1 PRæterea, in principio cuiuſque anni à Prælato Monachis officia, atque exercitia diſtribuantur cum conſilio tamen ſuorum Conſiliariorum, qui bono eorum conſilio in omnibus rebus grauioribus ad Monaſterij gubernium ſpectantibus Prælatum adiuuabunt, illorumque vota in his, & ſimilibus caſibus tantùm conſultiua declaramus. Ijque numero quatuor eſſe debent in ſingulis Monaſterijs; ſemperque futuris temporibus erunt, Magiſter Nouitiorum, & Procurator cuiuſque Monaſterij, necnon alij duo Monachi ex antiquioribus in profeſsione.

2 Per Prælatum, & Conſiliarios duo Zelatores deputentur, qui Regulæ, Conſtitutionũ, &

& ceremoniarum obſeruantiam zelare, & Monachorum culpas, ſeu defectus ad Prælatū, maximè in culparum Capitulo, deferre, teneantur.

3 Alij verò ad infirmorum curam, ad recipiendos hoſpites, illiſque miniſtrandum, alijque alijs huiuſmodi exercitijs conſtituantur, ne Monachi otio vacent; & vt opera charitatis, pro Dei amore, ac Superioris iuſſu adimplère ſtudeant. *Conſt. Mon. c. 24. Cap. ad Monaſt. 4. de ſtat. Monac.*

## CAP. XXI.

### *De Infirmorum cura ſollicitè procuranda.*

1 INfirmorum cura ante omnia adhibenda eſt, vt, ſicut rè vera Chriſto, ita eis ob illius amorem ſeruiatur. Magno igitur ſtudio Prælatus curandum eſt, vt infirmis, ita neceſſaria miniſtrentur, vt nèc ſæculi delitias, nec conſaguineorum affectum deſiderent: quòd vt cōmodiùs fiat, deputetur à Prelato infirmorum Miniſter, timens Deum, diligens, ac ſollicitus, charitate, & ſapientia præditus, qui ab omnibus alijs Miniſterijs feriatus, quando neceſſitas poſtula- *Reg. breu. num. 160. Et fuſ. diſp. n. 55.*

tulauerit, huic curæ ſemper intẽdat, quiquè medicorum iuſſa exequi opportunè, & cuncta alia neceſſaria præſtare ſtudeat.

Conſt. Mon. c. 29. 2 Prælati, non aliter, ac Patris curam filiorum, ſubditorum gerere teneantur, eiſque ſecundum medicorum conſilium de neceſſarijs prouidere. Neque in procuranda infirmorum ſalute, cęteriſque ad eorum ſolatium numquàm admittenda eſt Monaſterij paupertatis excuſatio.

3 Deputetur etiàm in quolibet Monaſterio locus proportionatus ad infirmorum curam, qui, omnibus ſupellectilibus, & vtẽſibilibus ad id neceſſarijs, à Prælato prouideatur: quæ ſuppellectilia, & vtenſilia à dicto loco quacumque de cauſa minimè extrahi, alijſque vſibus deputari poſsint.

## CAP. XXII.

### *De Titulis Superiorum.*

1 MOnachis ſingulis, maximè Superioribus prout eorum officia requiſierint, præſtabitur vrbanitatis debitum obſequiũ,

præ-

præcipuè in verbis: Propterea volumus, quòd tã voce, quàm ſcriptis Abbati Generali, non ſolum tempore ſui officij, ſed etiàm poſtquàm illud terminauerit, titulum P. N. R R. omnes tribuant. Vicario autem Generali, atque Abbati Prouinciali, tàm eorum officiorum tempore, quàm poſt, titulum Paternitatis admodùm Reuerendæ, Diffinitoribus, & Abbatibus, Procuratori Generali Curiæ Regiæ, & Magiſtris titulum Paternitatis Reuerendæ: Priores, Secretarij, Lectores in Sac. Theologia, Magiſtri Nouitiorum, & Prædicatores maiores, cæterique omnes, qui Abbates fuerunt, aut Diffinitores titulo paternitatis gaudeant. Reliqui verò Sacerdotes, & Sacris Ordinibus inſigniti Reuerentiæ titulo nuncupentur. Clerici verò, ſiuè profeſsi, ſiuè nouitij ſint, & laici titulo charitatis vocabuntur, & ita in poſterum tàm voce, quàm ſcriptis obſeruari mandamus.

(o)

*Cellas*,

## CAP. XXIII.

### *Cellas, & arcas claue clauſas, qua ratione, Monachi teneant.*

1 MOnachi cellas, & arcas clauſas habere poſsint, ne fortè per furtum aliquid deperdatur, ſed claues toties Superiori conſignent, quoties ab illo fuerint requiſiti: & ſi illas conſignare renuerint pænis pro inobedientibus taxatis puniantur: Verùm quandò Prælatus illas viſitare voluerit, ſecum duos Conſiliarios deferre teneatur. Abbas Prouincialis ad Diffinitorum cellas inuiſendas duos Diffinitores ſecum aſſumet. Vicarius Generalis, ſi cellam Procuratoris Generalis viſitare voluerit, adhibitis duobus ex grauioribus Monaſterij Patribus, & præſente procuratore præfato, illam viſitare poterit; ſcripturas verò ad negotia Religionis pertinentia nullo prætextu viſitare permittatur.

2 Lecti verò, & ſuppellectilia, ſiuè vtenſilia Monachorum, ita ſint, vt illorum vitæ, & ſtatui Religioſo, quem profeſsi ſunt, conueniant.

Ad-

Aduertant enim in omnibus, vt par eſt, modeſtia, & honeſtas Religioſa appareat.

## CAP. XXIV.

### *De informationibus faciendis.*

INformationes, & proceſſus Monachorũ delinquentium ſolummodo Abbati Prouinciali fabricare ſpectabit, neque valebunt Prælati informationes capere abſque licentia in ſcriptis illius; & ſi ſecùs fecerint, informationes, & proceſſus nulli ſint, & nullius roboris, & valoris; ſi autem vrgens neceſsitas id poſtulauerit propter grauitatem criminis, & caſus, qui dilationem non patitur, poterit Prælatus, & delinquentem incarcerare; & ad capiendam informationem procedere, & interim per Nuntium ſpecialem de omnibus certiorem facere Abbatem Prouincialem, vt quidquid ſibi viſum fuerit præcipiat.

Caueat autem Abbas Prouincialis nomina teſtium in viſitatione examinatorum, vel alias reuelare ſub pœna ſuſpenſionis à ſuo officio

per quatuor menſes. Item, & Secretarius Prouinciæ ſub eadem pœna, aliaque Superioris arbitrio infligenda.

## CAP. XXV.

### *De incorrigibilibus.*

1 INcorrigibilis ille quidem iudicandus eſt, qui culpas graues non veretur cõmittere, & tamen pœnas ferre recuſat, vel de cius correctione, & emendatione non eſt aliqua probabilis ſpes, propter obſtinationem, ſeu inueteratam mali conſuetudinem, vel alias circunſtantias perſonæ. Preterea ille dicitur incorrigibilis, qui ter conuictus, & punitus de aliquibus criminibus grauibus, etiam diſtinctis, numquam ſe emendauit.

2 Cæterum, vt in poſterum ſentẽtia expulſionis proferatur, & executioni mandetur incorrigibiles cenſendi non ſunt, etiam ſi omnia prædicta concurrant, quouſque vnius anni ſpatio in ieiunio, & pœnitentia probati in carceribus non reſipuerint, ſed animo obdura-

tæ

ro in ſua pertinacia perſeuerauerint.

3 Incorrigibiles omnino expellendi ſunt; poſtquam enim de eorum emendatione, & profectu nulla eſt probabilis ſpes, ad Apoſtoli ſententiam confugiendum eſt. Auferte malũ à vobis; Auferatur ergo malus ne malos generet, & pecus morbida abijciatur, & membrum putridum reſcindatur, ne ſana inde inficiãtur, & corrumpantur. Opportet autem in hac re tam graui, vt maturo conſilio omnia fiant ſeruata forma decretorum S.C.C. iuſſu Felic. Record. Vrbani PP. VIII. editorum die 21. Septẽbris 1624. de Apoſtatis, & eiectis.

*Decr. S. C. C. edit. 21. Septembris 1624. de Apoſtatis, & eiectis.*

4 Literæ dimiſſoriæ expulſis nunquam concedantur, ſed tantùm teſtimonium authẽticum ſuæ expulſionis, quo conſtet factam eſſe, poſtquàm fuerunt per annum in ieiunio, & pœnitentia in carceribus probati, & inſuper in eo pœn[illegible] à Religione eis ſpecialiter impoſitæ, & ſi ab illo Regno, Prouincia, aut Oppido, vbi deliquerant, exilio mulctati ſint, exprimatur: & ſemel à Religione expulſi nullatenùs, niſi à Capitulo Prouinciali, & concurrentibus duabus, ex tribus ſuffragiorum partibus, admittãtur.

 5 Man-

5 Mandamus etiam ad litium cautelã, vt in omnibus literis, ſeu decretis expulſorijs dandis expulſis, iſta vel alia conſimilis clauſula inſeratur, vel ad minùs pro inſerta habeatur, videlicet; omnia nihilominus iura, actiones, & ſucceſsiones, tam ex iure communi, quàm ex priuilegijs, ſeu ſtatutis noſtræ Religionis, cauſa tuæ Profeſsionis dictæ Religioni in genere, aut alicui Monaſterio in ſpecie qualiter cumque pertinentia eiſdem reſeruamus, & in nullo pœnitus derogamus.

## CAP. XXVI.

*De aliquibus annotationibus circa pœnas, & de obligatione, ad quam Monachi tenentur circa harum Conſtitutionum obſeruantiam.*

1 COngruum autem, & rationi conſentaneum iudicamus, ad tollendas confuſiones, & ſcrupulos circa pœnas in his Conſtitutionibus aſsignatas aliquid tractare; & inſuper aperire, quam obligandi vim ha-

beant, tam Regula noſtra, quàm ipſæ Conſtitutiones. In primis declaramus: quod cum in Conſtitutionibus pœna priuationis ipſo facto imponitur. Priuatio executionem non habeat ante iudicis ſententiam declaratoriam ſuper facto Cap. ſecundum Apoſt. de hereſ. 6. & cum dicitur quis priuari voce, tam actiua, quam paſſiua intelligatur. Priuatus loco in vltimo illorum, qui ſunt de ſuo ſtatu, collocetur; Et ſi aliquis gradu Magiſterij priuetur, non ſolum preeminentijs, ſed etiam nomine Magiſtri priuatus exiſtat.

*Cap. Secundum Apoſt. de hæred. in 6.*

2 Circa etiam pœnas in communi decernimus in omnibus illud obſeruari, vt inſpectis perſonis, delictis, loco, & tempore, & alijs circunſtantijs, pœnæ augeantur, & diminuantur: & Monachis aſſuetis ad reincidendum in culpas, creſcentibus culpis augeantur, & pœnæ, donec emendentur. Contra verò cum pœnæ in his Conſtitutionibus appoſitæ potiſsimum ad Monachorum correctionem, & emendationem dirigantur: qui pœnitentiam humiliter, quãuis non in toto adimpleuerit, & emendationis indicia dederit à Superioribus, pars

aliqua

aliqua pœnę relaxari poterit.

*De Inſtit. Monach. ſerm. 1. Regul. fuſ. diſp. cap. 51.*

3 In caſibus verò, in quibus à noſtris Conſtitutionibus non eſt aliqua pœna taxata, Superiorum arbitrio, ſecundùm qualitatem delicti pœna cum charitate tamen applicetur. Et, ſi in Conſtitutionibus officij, & vocis priuatio imponatur, ſi tranſgreſſor officium, & vocem non habuerit, æqualis in alijs, in quantum fieri poſsit, ei pęna, & pœnitētia iniungatur.

4 Cęterum, vt omne genus ſcrupuli penitus auferatur, & primum de Regula: declaramus eam, nullatenus ſui profeſſorem ad lætalem culpam, ſed ad venialem tantùm obligare: ſic enim, & communi Religionis conſenſu, & conſuetudine, ſemper introductum, & confirmatum eſt. Omnes verò noſtri Ordinis Conſtitutiones, ſtatuta, & decreta, ad pęnam in eis taxatam, vel à Superioribus imponendā, tantùm obligare, niſi cum eiſdem contineatur præceptum obedientiæ, aut cenſura, aut aliàs, id, quòd, in Conſtitutionibus ipſis præcipitur, ſeu prohibetur, vel ex ſe, vel ratione cōtemptus, vel alterius circunſtantiæ, fuerit culpabile.

pabile. Sed, licèt hoc ita ſit: Monachi, qui ad perfectionem tendere tenentur, & Dei voluntatem pro ſuarum actionum Regula habent: cum hæc in his Conſtitutionibus manifeſtè reſplendeat, eas pro viribus, & omni diligentia exequi debent.

## CAP. XXVII.

### *De Cura Prælatorum circa harum rerum obſeruantiam.*

1 PRelati verò, ſi hęc, quæ dicta, & ordinata ſunt, ſua culpa neglexerint: ſciant, omnino ſe officijs eſſe priuandos per Superiores, & alijs pœnis arbitrarijs puniendos: Proinde, eos hortamur in Domino, vt tanquã Dei miniſtros dignos ſe præbeãt, illo gradu dignitatis, quem tenent: quod profectò facient, ſi Dei auxilio freti, toto conatu ea, quę ad ipſorũ officium pertinent, rectè adminiſtrare contendant: & ipſi omnium primi, ſtrenuè, atque perfectè, ſtatuta hęc, & Regulas omnes obſeruent; cæteros autem hortando, atque pręcipiendo obſer- *Reg. fuſ. diſput cap. 25.*

obſeruare iubeāt, rebelles, ac obſtinatos, ſi opus fuerit, auxilio Curię Epiſcopalis, vel etiam brachij ſęcularis comprimendo.

## CAP. XXVIII.

*Has Conſtitutiones, & Regulam S. P. N Baſilij legi debere in menſa ſemel in hebdomada.*

1 VT nemo circa huiuſmodi obſeruātiam, ac etiam executionem ignorantia ſe excuſare poſsit: Volumus, ac expreſſè mandamus omnibus, & ſingulis harum Prouinciarum Prælatis, ſub pœna ſuorum officiorum priuationis, vt illorum vnuſquiſque in Monaſterio ſibi deputato præſentes ordinationes in menſa, ſemel in hebdomada legi faciant, vna cum compendio Regulæ S. P. N. Baſilij.

2 Hæ ſunt Conſtitutiones Prouinciarum Hiſpaniæ, quæ auctoritate à Sanctiſsimo Domino Noſtro Alexandro PP. VII. nobis tributa, ſunt ædite. Quæ omnia, in laudem, & gloriam

riam omnipotentis Dei, & vtilitatem animarũ ſecundùm Regulam S. P. N. Baſilij cedant. Amẽ. In quorum omnium, & ſingulorum fidem propria manu ſubſcripſimus, & Sigillo Maiori Religionis muniri iuſsimus. Matriti Kalendis Auguſti milleſsimo ſexcenteſsimo ſexageſsimo quinto.

*Theophylus Abbas Generalis Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus Finis Conſtitutionum.*

CVm autem ſicut eadem expoſitio ſubiũgebat prædictus Theophylus Abbas Generalis, nouas Conſtitutiones huiuſmodi quo firmiori ſtabilitate perſiſtant, ac inuiolabili obſeruantia perpetuò vigeant, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ præſidio communiri ſummoperè deſideret, nobis propterea etiam dictarum Prouinciarum, totiuſque Ordinis huiuſmodi nomine humiliter ſupplicari fecit, vt in præmiſſis oportunè prouidere, & vt infra indulgêre de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Theophylum Abbatem Generalem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volen-

tes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſquè Eccleſiaſticis ſententijs, cæſuris, & pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnes, & ſingulas Conſtitutiones præinſertas, tanquàm Sacris Canonibus, Tridentini Concilij decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, nec non Regulæ Sancti Baſilij, & Monaſticæ diſciplinæ conſentaneas, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adijcimus, ac omnęs, & ſingulos iuris, & facti defectus ſi qui de ſuper quomodolibet interuenerint ſupplemus. Decernentęs eaſdem præſentes literas, ac Conſtitutiones præinſertas, ſēper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinêre, ac ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit inuiolabiliter, & inconcuſſæ obſeruari, nec de

ſuper

ſuperà quoquam quauis auctoritate, vel poteſtate fungente, vel functuro, prçter quam à nobis & Romano Pontifice pro tempore exiſtente diſpenſari poſſe, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios, & delegatos, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctę Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & de latere legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuntios, alioſuè quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interprætandi facultate, & auctoritate, iudicari, & difiniri debere, ac irritum, & inanè quidquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contingerit attentari, non obſtantibus prçmiſsis, nec non Apoſtolicis, ac in Vniuerſalibus, Prouincialibus, & Synodalibus Cõcilijs æditis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac Ordinis Prouinciarum huiuſmodi, & quorumcumque Monaſteriorum, alijſuè quibus libet, & iuramẽto, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alias roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis

ciſ ſub quibuſcumque verborum, tenore, & formis, & cum quibuſuis, & derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus efficaciſsimis, & inſolitis clauſulis irritantibuſque, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, aut aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſsis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruandum foret, illorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſsis, ſeruatis, inſertis, & ſpecificatis reſpectiuè habẽtes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt earũdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſsis, manu alicuius notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſ-

cleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra vbiq; adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtentæ. Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die quarta Martij milleſsimo ſexcenteſsimo ſexageſsimo ſexto. Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

*S. Corintien.*

Loco ✠ Sigilli.

*Concordat cum Breui, & Conſtitutionibus originalibus, facta collatione, & in fidem hic nos ſubſcripſimus, & ſolito Religionis Signo muniri iuſſimus.*

*Theophylus Abbas Generalis Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus.*

# DECRETA ADDITA.

SVpradictis Conſtitutionibus ſeu Decretis pro maiori illorum Obſeruantia,& intelligentia rationi conueniens, & conſentaneum iudicauimus, hæc quę ſequuntur addere; quæ, vt omnes de illis plenam notitiam habeant,typis mandari,& in Libro Conſtitutionum apponi,& ab omnibus inuiolabiliter ſub pœnis noſtro arbitrio infligendis Apoſtolica Autoritate qua in his fungimur,& etiam de mente Sanctiſſimi D. Noſtri Alexandri Papę Septimi obſeruari mandamus.

1 Quia in cap. 17. Secundæ Partis num. 3. (ad paupertatis votum exactè ſeruandum præcipitur), Monachos quidquid habent ſuis Prælatis,vel ſcriptis,vel voce tempore maioris hebdomadæ ſaltem denunciare teneri: Et,vt in ſimilibus denunciationibus ſiuè ſproprijs dolus non ſit,alijſque iuſtis de cauſis: Volumus & declaramus,ſi fient in ſcriptis,Sigillo muniri debere,vt eodem prorſus modo maiori hebdomada ſubſequentis anni adueniente eiſdem denunciantibus à Prælato tradantur ſiuè reſtituantur,

&

& Prælatus nullo pretextu ſeu colore illas aperire poſſe iubemus, niſi de conſenſu reuelantis, vel in caſu mortis illius, vel de licentia Diffinitorij (cum cognitione cauſæ) in ſcriptis danda.

2 Vt paupertati ſiuè indigentiæ Prouinciarum harum aliquo modo, vt poſsibile fuerit, occurrere poſsîmus, declarandũ duximus, prout præſenti decreto declaramus, Prouinciæ Patres inter Superiores illarum annumerari, & meritò eſtimari debere virtute priuilegiorum, præeminentiarum, aliorumq; honorum, quibus fruuntur, & gaudent. Ideò eorum ſpolia (illis defunctis,) prò expenſis neceſſarijs earundem Prouinciarum applicanda eſſe decernimus, eo modò, & forma, ac Superiorum actualium earundem in Cap. 31. Primæ Partis nu. 12 enarratorum. Et ita obſeruari iubemus.

3 Cum in Capitulo 2. Primæ Partis nu. 4. Decretum ſit, illos, qui Abbatiam laudabiliter terminauerint, vocem paſsiuam habere ad Prouincialatus officium. Declaramus ad tollendas contentiones, illos dici laudabiliter eorum officia terminaſſe, qui illis priuati non fuerint, etiã ſi ad breue tempus; quamuis poſtea ad eadem aſſequenda fuiſſent habilitati.

5 Cir-

5 Circa ordinem pręcedentiæ, declaramus Monachos laicos ſi ad ſtatum Choriſtarum fuerint præuia diſpenſatione promoti, locum præcedentiæ non ſecundùm eòrum profeſsio nem inter alios addictos Choro habere, ſed à die quo ad ſtatum prædictum fuerunt admiſsi, ſive à die quo fuerunt Ordinibus inſigniti.

5 Ad ſeruandam prorſus pariformitatem in omnibus inter Monachos, non ſolum harũ Prouinciarum Bœthicæ, & Caſtellę, ſed cęterarum noſtræ Religionis; nam cum omnes vnum corpus ſimus in Chriſto membra cum ſuo capite copulata, eadem Regula, eiſdemque legibus, abſque vlla prorſus differentia, ali, & viui eiuſdemque eſſe voluntatis neceſſe eſt, iuxta præcepta S. P. N. Baſilij. Id circò præcipimus vt eodem nomine ſiuè titulo, quo Monachi omnes noſtri Ordinis, qui vbique terrarum orbe ſub noſtra, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientia vivunt ſolent appellari, & hi vocentur, & vtantur, hoc eſt Monachi Choro deſtinati nomine ſeu titulo *Don*: Laici verò eodem quo hucuſque appellari ſoliti ſunt. Verũm ſi aliquis ex ſenioribus veneratione, & extimatione dig-

nus

nus in his Prouincijs ad præſens exiſtens ob aliquam cauſam eius mentem dignè mouentem titulo, *Don*, appellari non curetur, benignè indulgemus, vt liceat illi in ſuis ſubſcriptionibus nomine ſiuè titulo Patris vti; non autem vllo modo, *Frai*, videlicet *Pater N. N.* & ſic ab omnibus in poſterum obſeruari expreſſè mãdamus.

6 Quia in Cap. 13. de ordine præcedentiæ num. 2. habetur, quod abſentibus Prælatis vltra viginti milliaria è Monaſterijs, quibus præſunt, illorum Priores, veluti Præſidentes, in eodemmet Abbatis loco ſedebunt. Declaramus (pro bono obſeruantię, & Regiminis) decretum hoc locum non habere in Monaſterijs Sancti Baſilij Matritẽſis, & Sancti Baſilij Hiſpalenſis. Sufficit enim Prelati abſentia ab Oppido, vel Ciuitate, vt Prior, veluti Pręſidens, eandem Abbatis ſedem, & locum occupare poſsit. Datum in noſtro Collegio Sancti Baſilij Almæ Vrbis. die decima Martij. milleſsimo ſexcenteſsimo ſexageſsimo ſeptimo.

*Theophylus Abbas Generalis Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus.*

# INDEX.

## Capitum, quæ in his Conſtitutionibus continentur.

### *Capita primæ partis.*

De ijs, quæ ad vniuerſale regimen pertinent, Cap. I. pag.1.
De vocalibus, qui debent intereſſe Capitulo Prouinciali, & in electionibus vocem paſsiuam habent. Cap. II. pag.3.
Quid ad Capitulum Prouinciale ſit mittendũ, & ab vno quoque vocali ſit afferendum. Cap. III. pag,6.
De profeſsione facienda ab ijs de quorum profeſsione ſuſpicio habeatur, & Capitulo interſunt. Cap. IV. pag.9.
De ſcrutatorum electione. Cap. V. pag.10.
De electione Abbatis Prouincialis, & Diffinitorum. Cap. VI. pag.11.
De Poteſtate Abbatis Prouincialis, & Diffinitorum. Cap. VII. pag.19.
Quandiu Poteſtas Abbatis Prouincialis, Diffinitorum, & Abbatum duratura ſit? De nu-

mero Diffinitorum, & de loco celebrandi Capitulum. Cap. VIII. pag. 24.

De Preſidente Capituli Prouincialis, & quando poſsit diſpenſare circa tempus celebrandi illud, ac de vocalibus qui Capitulo Generali intereſſe debent. Cap. IX. pag. 26.

Quo tempore Abbas Prouincialis, & Diffinitores conuenire debent in locum vnum. Cap. X. pag. 29.

De Secretario Prouinciæ. Cap. XI. pag. 30.

De Procuratoribus in Curia Regia, & Romana exiſtentibus. Cap. XII. pag. 32.

De Ordine Præſidentiæ, & loco ſedendi. Cap. XIII. pag. 34.

De ratione viſitandi Monaſteria per Vicarium Generalem, & Abbates Prouinciales. Cap. XIV. pag. 37.

De electione Prelatorum, & quam diligẽtiam in ſuo quiſque regendo Monaſterio adhibere debeat. Cap. XV. pag. 43.

De iis, qui in loco Prælatorum defunctorum ſuccedunt. Cap. XVI. pag. 49.

De poteſtate Priorum in vno quoque Monaſterio. Cap. XVII. pag. 53.

De nu-

De numero Monachorum in quolibet Monaſterio, & de illorum mutatione ex vno in aliud, & ex vna in alteram Prouinciam, ac de filiatione. Cap. XVIII. pag. 55.
De aliquibus, quæ Monachis conceduntur, & prohibentur. Cap. XIX. pag. 58.
De Nouitiorum Magiſtris, & Nouitiatibus. Cap. XX. pag. 60.
De Nouitijs, & Nouitiatibus. Cap. XXI pa. 63.
De Profeſsis, & profeſsione ab illis facienda. Cap. XXII. pag. 68.
De conuerſis, Donatis, & oblatis. Cap. XXIII. pag. 70.
De promouendis ad ordines, tùm in Minores, tùm Sacros. Cap. XXIV. pag. 73.
De Procuratoribus, eorumque officio, & pecunia cuſtodienda, & in ſumenda. Cap. XXV. pag. 75.
De bonis Monaſteriorum cuſtodiendis, & non alienandis, & de Archiuis. Ca. XXVI. pa. 77.
De Confeſſarijs, & concionatoribus. Cap. XXVII. pag. 80.
De Collegijs, ac illorum Collegialibus, Lectoribus, alijſque. Cap. XXVIII. pag. 82.

De

De communi Bibliotheca, & librorum cuſtodia. Cap. XXIX. pag. 87.
De Magiſtris. Cap. XXX. pag. 88.
De Suffragijs, & ſpolijs defunctorum. Cap. XXXI. pag. 92.
De Vicario Generali, eiuſque officio, & poteſtate. Cap. XXXII. pag. 98.
De appellationibus. Cap. XXXIII. pag. 101.
De forma ſeruanda in ſtatuendis, & mutandis legibus, ſiuè Cōſtitutionibus. Cap. XXXIV. pag. 104.

*Secunda Pars Conſtitutionum.*

De his quæ ad Diuinum Cultum, & mores pertinent.

De officio recitando, & diligentia in choro ſeruanda. Cap. I. pag. 106.
De ora Diuini Officij celebrandi. Cap. II. pag. 109.
De Miſſa Conuentuali. Cap. III. pag. 110.
De oratione mentali. Cap. IV. pag. 111.
De Sacramento Confeſsionis, & Communio-

nis

nis ſuſcipiendo. Cap. V. pag. 112.
De caſuum reſeruatione. Cap. VI. pag. 113.
De capitulo culparum habendo qualibet feria ſexta. Cap. VII. pag. 117.
De ieiunijs, communi flagellatione, alijſque mortificationibus ſeruandis. Cap. VIII. pag. 119.
De eſu carnium, & de ſobrietate in cibo, potúque ſeruanda. Cap. IX. pag. 121.
De lectione ad menſam. Cap. X. pag. 124.
De ſilentio ſeruando. Cap. XI. pag. 125.
De clauſura Monaſteriorum ſeruanda, de cuſtodia Ianuæ, & de ijs, qui exeunt à Monaſterio. Cap. XII. pag. 129.
De Apoſtatis, & Fugitiuis. Cap. XIII. pag. 132.
De modeſtia, & Religioſitate ſeruãda in veſtitu, verbis, & actionibus. Cap. XIV. pag. 135.
De obedientiæ voto ſeruando. Cap. XV. pag. 140.
De caſtitatis voto cuſtodiendo. Cap. XVI. pag. 142.
De voto paupertatis. Cap. XVII. pag. 144.
De veſtimentis, & rebus alijs, quę ſubminiſtrare Monachis neceſſe eſt. XVIII. pag. 146.

De

De communi labore, & opere. Cap. XIX. pag. 147.

De diſtribuendis in quolibet Monaſterio officijs, ac de illorum conſiliarijs, & Zelatoribus. Cap. XX. pag. 148. 1.

De infirmorum cura ſolicitè procuranda. Cap. XXI. pag. 148. 2.

De titulis Superiorum. Cap. XXII. pag. 149.

Zellas, & arcas claues clauſas, qua ratione Monachi teneant. Cap. XXIII. pag. 151.

De informationibus faciendis. Cap. XXIV. pag. 152.

De incorrigibilibus Cap. XXV. pag. 153.

De aliquibus annotationibus circa pœnas, & obligatione, ad quam Monachi tenentur circa harum conſtitutionum obſeruātiam. Cap. XXVI. pag. 155.

De cura Prælatorum circa harum Conſtitutionum obſeruantiam. Cap, XXVII. pap. 157.

Has Conſtitutiones, & Regulam S. P. N. Baſilij legi debere in menſa ſemel in hebdomada. Cap. XXVIII. pag. 158.

IN-

# INDEX ALFABETICVM RERVM NOTABILIVM, quæ in his Conſtitutionibus continentur.

*Sed nota, tantum indicari paginam, in qua continetur numerus, ſeu initium paragraphi, in quo res notabilis includitur.*

## A.

Abbas Prouincialis non ſe intromittat in officijs Abbatum, & officialium, pag. 21. num. 4.

Abbatis Prouincialis Monaſteriorum nullum determinatum ſit, pag. 20. num. 3.

Abſolutio a cenſuris, ad cautelam, detur vocalibus Capituli Prouincialis à Præſidēte. pag. 12. num. 3. & pag. 18. num. 9.

Acta Capituli Prouincialis, & Diffinitorij ad Abbatem Generalē mittantur, pag. 20. n. 2.

Accuſatio cōtra Prælatos, vel Monachos non probata, puniatur, pag. 7. num. 2. & pag. 129. num. 7.

Alienationes prohibentur, pag. 78. num. 2.

Antiquitas profeſsionis ſeruetur inter Monachos vtriuſque Prouinciæ, & Italiæ, pag. 56. num. 2.

Appellationes quando, & quomodo concedantur, pag. 101. num. 1. & pag. 102. num. 2. & pag. 103. num. 3.

Apertio literarum ſuperiorum, & huius criminis ſuplicium, & pœnæ, pag. 137. num. 5.

Apoſtatę, & fugitiui, eorumque pœnę, & ſuplicia. pag. 132. num. 1. & pag. 133. num. 2. & pag. 134. num. 3 & 5.

Approbatio informationum, pag. 64. num. 4.

Approbationes Nouitiorum. pag. 66. num. 6. & pag. 67. num. 9.

Arma quæcumque Monachis prohibentur, pag. 59. num. 2.

Archiua ad Scripturas Monaſteriorum, earũq; ordo, & cuſtodia pręcipiũtur. pag. 77. num. 1 & pag. 79. num. 5.

Archiua ad Scripturas Prouinciarum, eorum loca, & claues, earumque cuſtodia ordinantur. pag. 78. num. 3. & pag. 79. num. 4.

Arcæ Monachorum. pag. 151. num. 1.

Authoritas officij Prioris. pag. 53. num. 1. & pag. 54.

54. num. 2. & 3. & pag. 55. num. 4.

B.

Bibliotheca communis deſignatur in quolibet Monaſterio, eius ordo, & Bibliothecarius ſtatuuntur, cuſtodiàque librorum præcipitur. pag. 87. num. 1.

C.

Capita factionum, eorumque pœnæ, & ſuplicia. pag. 139. num. 2.
Capitulum Prouinciale quando celebrandum eſt in vnaquaque Prouincia? pag. 1. num. 1.
Capitulis Conuentualibus qui nam habeant vocem actiuam? pag. 4. num. 3.
Capitulum conuentuale debet Abbas congregare ante celebrationē Capituli Prouincialis. pag. 6. num. 1.
Capitulū culparū, eiuſque ordo. pag. 117. num. 1. & pag. 118. num. 2. & pag. 119. num. 3. & 4.
Cathalogus Magiſtrorum de numero Prouinciæ, pag. 91. num. 4.
Cathedræ omnes per concurſum conferantur, & per vota ſecreta, pag. 86. num. 6.
Clauarij, & eorum officium. pag. 75. num. 2. & pag. 76. num. 3.

Clauſura, eiuſq; cuſtodia, pag. 129. num. 1, & 2.
Collegia deſignantur in vnaquaque Prouincia, pag. 82. num. 1.
Cōmunio ſacra quibus diebus, pag. 112. num. 1.
Commutationes reprobantur, pag. 78. num. 2.
Compoſitiones vetantur, pag. 78. num. 2.
Confeſſarij priùs quàm licentiam obtineant ad confeſsiones audiendas examinentur, pag. 80. num. 1.
Confeſſarij approbati per Abbatem Prouincialem ad audiendas confeſsiones Monachorum poſsint examinari tempore viſitationum, pag 80. num. 1.
Confeſſarij non audiant confeſsiones ſęculariū niſi ſint approbati ab ordinarijs locorum pag. 80. num. 2.
Confeſsio Sacramentalis quibus diebus, & quo confeſſario, pag. 112. num. 1.
Coniurationes prohibentur, pag. 138. num. 6.
Conſiliarij, eorum numerus, & conditiones, pag. 148. 1. num. 1.
Conſociatio Monachorum per ciuitates, aut caſtella exeuntium, pag. 131. num. 3. & 4.
Correctiones fraternæ, & circunſtantiæ iuris præ-

prçcedant quamcunque ſententiam diffinitiuam, pag. 19. num. 1.
Crapula ſtrictè prohibetur, pag. 121. num. 2.
Cucula quando Monachi vti debeant, pag. 131. num. 3.
Cura infirmorum, pag. 148. 2. num. 1. & pag. 149. num. 2. & 3.
Cura Prçlatorum in obſeruantia Conſtitutionum, pag. 157. num. 1.

D.

Decretum SS D. N. Clementis VIII. ſuper caſuum reſeruatione, pag. 114 num. 1. & pag. 115. num. 2. & pag, 116. num. 3. & 4. & pag. 117. num. 6. & 7.
Detentio literarum ſuperiorum, & huius delicti ſuplicium, & pœnæ, pag. 137. num. 5.
Diffinitores nequeunt eſſe Abbates ſimul, pag. 23. num. 8.
Diffinitores non præſideant Capitulis conuentualibus, pag. 23. num. 9.
Diffinitores nequeunt iudicari ab Abbate Prouinciali niſi ſuffragio Diffinitorum, pag. 22. num. 7.
Diffinitores Abbati Prouinciali immediatè

ſubij-

ſubijciantur, pag. 23. num. 6.
Diffinitor primus ſuccedat in locum Abbatis Prouincialis in caſu mortis illius infra annũ ante Capitulum Prouinciale, & habeat votum paſsivum ad idem officium conſequẽdum, pag. 51. num. 5.
Diffinitor electus ob mortem, vel ob aliã cauſam infra annum ante Capitulum Prouinciale habebit vocem paſsiuam ad idem officium adipiſcendum, pag. 51. num. 6.
Diligentia Prælatorum in obſeruantia Conſtitutionum, pag. 157. num. 1.
Diſciplina conuentualis quando, & quomodo, pag 48. num. 8.
Diſpenſare poteſt Præſidens Capituli Prouincialis rationabilis de cauſa, vt aliquis ante præfixum tempus locum Capituli ingrediatur. pag. 8. num. 6.
Donati, & eorum munera, quandoque admitti poſſunt ad profeſsionem, pag. 72. num 4 & 5.
Dubium in legitimatione votorum inquolibet Capitulo etiam conuentuali, & circa quãcumque rem ab ipſo Capitulo per vota ſecreta decidatur, pag. 11. num. 1. & pag. 17. num. 8.

Du-

Duces factionũ quibus cenſuris, & pœnis ſubijciantur, pag. 136. num. 2.

E.

Ebrietas interdicitur, pag. 121. num. 2.
Edictum reſidentiæ promulgetur in Capitulo Prouinciali, pag. 16. num. 7.
Educatio Nouitiorum, & profeſſorum, pag. 66. num. 7. & pag. 67. num. 8. & pag. 68. num. 2.
Electio Abbatum, pag. 45. num. 3.
Electio ſcrutatorum, & eorum officium, pag. 10. num. 1.
Electio Vicarij Prouincialis quando, & quomodo, pag. 50. num. 2. & pag. 51. num. 3. & 4. & 5.
Electio Prioris, pag. 53. num. 1.
Electiones Abbatum quomodò debeant fieri, pag. 46. num. 5.
Electiones in Capitulo Prouinciali debent fieri ex præſentibus, pag. 5. num. 6,
Electorum in Abbates Prouinciales, & Diffinitores cum paritate votorum præferatur antiquior in profeſsione, pag. 13. num. 5.
Electus in vocalem ad Capitulum Prouinciale ſecum deferat literas teſtimoniales, ſuæ electionis, pag. 4. num. 3.

Eſus carnium, pag. 121. num. 1.
Exercitium manuum, pag. 147. num. 1. & 2.
Expenſas Monachis itinerātibus à Monaſterijs ſoluantur, pag. 55. num. 1.

F.

Falſificatio literarum ſuperioris, & huius delicti ſuplicium, & pœnæ, pag. 136. num. 4.
Filiationes ſtatuuntur, pag. 55. num. 1. & pag. 57. num. 3.
Flagelatio quibus diebus, & quando poſsit diſpenſari, pag. 120. num. 2.
Forma condendi legis, & Conſtitutiones ſtabiliendi, pag. 104. num. 1. & pag. 105. num. 2.

H.

Habitus quem geſtabunt Monachi Layci, & Donati, pag. 71. num. 2. & pag. 72. num. 3.
Horę Diuini officij quomodo debent diuidi, pag. 107. num. 1.

I.

Ianitores, eorumque officium, pag. 129. num. 1.
Ieiunium quibus diebus, & quando poſsit diſpenſari, pag. 119. num. 1. & pag. 120. num. 2.
Incorrigibiles, & eorum pœnæ, pag. 153. num. 1. & 2. & pag. 154. num. 3. & 4. & pag. 155. nu. 5.

Infa-

Infamatio alicuius, eiuſque pœna, & ſupliciũ, pag.127. num.4. & 5.
Informationes à quo poſsint fabricari, pag.152. num. 1.
Iuramentum fiat à Capitularibus Capituli Prouincialis de eligendo probiori, pag.12. num.3.

L.

Labor communis, pag.147. num.1. & 2.
Layci admittantur ad profeſsionem, eorumque exercitia, & nouitiatus, pag.70. num. 1.
Leges, & Authoritas illas creãdi, pag. 104. num, 1. & pag. 105. num. 2.
Lecti Monachorum, pag.151. num.2,
Lectio ad menſam, pag. 124. num. 1.
Lectio Sacræ Scripturæ, & caſuum conſciẽtię, quoties in hebdomada? pag. 86. num.7.
Lector caſuum conſcientię deputetur in quolibet Monaſterio, pag.86. num.7.
Lector Sacræ Scripturæ, vel Theologiæ moralis more Scholaſtico poterit creari à Capitulo Prouinciali, pag,83. num. 2.
Lector Sacræ Scripturæ deſignetur in quolibet Monaſterio, pag. 86. num. 7.
Lectores à lectione ceſſabunt expleto lectionis

tempore; ſi aliter non oportuerit, pag. 86. num. 7.
Lectorum Sacrę Theologię, & Philoſophię, & etiam Sacræ Scripturæ, necnon Theologiæ moralis in forma ſcholaſtica, obligationes, & onera pro gradu Magiſterij in Prouincia conſequendo, pag. 83. nu. 3. & pag. 89. nu. 2.
Lectores quando, & quomodo poſsint mutari de vna in aliam Prouinciam? pag. 56. num. 2.
Liber viſitationum Abbati Prouinciali electo tradatur, & ſigillũ Prouincię, necnõ clauis archiui, pag. 7. num. 3.
Licentiæ vt Monachi iter faciant à quibus, & quomodo concedi poſsint, pag. 58. num. 1.
Licentiæ Monachis concedantur, vt aliquas pecunias ſuis Parentibus diſtribuant, pag. 144. num. 1.
Literæ conuocatoriæ ad celebrationem Capitulii Prouincialis a quo, & quo tempore debent mitti ad Monaſteria ſingula, pag. 3. n. 1.
Literæ non ſubſcriptæ à Principalibus, in Capitulo non legantur, pag. 7. num. 2.
Literę miſſæ à Diffinitoribus, vel ad Diffinitores non poteſt Abbas Prouincialis aperire

aut

aut retardare, pag. 22. num. 7.
Literæ expulſoriæ, & earum forma, pag. 155. num. 5.
Literæ dimiſſoriẹ expulſis non cōcedantur, pag. 154. num. 4.
Locus celebrandi Capitulum, pag. 25. num. 5.
Locus Monachi miſsi à Capitulo conuentuali ad Capitulum Prouinciale, pag. 4. num. 3.
Ludus prohibetur Monachis, pag. 59. num. 2.
M.
Magiſter ſcholaſticorum, & eius officium, pag. 85. num. 4.
Magiſtri Nouitiorum, eorum remotiones, & qualitates, pag. 60. num. 1. & pag. 61. num. 3. & 4.
Magiſtri Sacræ Theologiæ, eorumque præreguiſita, pag 89. num. 2. & 3.
Miſſa pro defunctis canatur in Capitulo, pag. 18. num. 9.
Miſſa conuentualis quando cantanda ſit, quando verò recitanda, pag. 10. num. 1.
Miſſa dè Spiritu Sancto ſecundò debet celebrari pro felici ſucceſu Capituli, pag. 21. num. 2.
Modeſtia in omnibus Monachi ſeruent, pag. 135. num. 1.

MutationesMonachorum de vno ad aliudMonaſterium, & de vna in alteram Prouinciam quando, & à quo debent fieri? pag. 55. num. 1. & pag. 56. num. 2.

N.

Neceſſaria omnia Monachis à Prælato tribuantur ſub pœna priuationis officij, pag. 145. num. 2. & pag. 146. num. 1.

Notitia mortis cuiuſque Monachi Abbati Prouinciali mittatur, pag. 92. num. 1.

Nouitiatus, eius locus, & circunſtantiæ, pag. 61. num. 5. & pag. 63. num. 2.

Nouitij poſſunt in articulo mortis profiteri, pag. 63. num. 10.

Nouitij, eorumque requiſita, & qualitates, pag. 63. num. 1. & 3. & pag. 64. num. 4. & pag. 65. num. 5.

Numerus Diffinitorum in vnaquaque Prouincia, pag. 25. num. 4.

Numerus habilitatorum ad officium Abbatis in quolibet Prouincia. pag. 49. num. 1.

Numerus Monachorum in quolibet Monaſterio, pag. 55. num. 1.

Numerus Magiſtrōrum Sacræ Theologiæ, pag. 88. num. 1.

## O.

Obedientię votum,pag.140,num.1.
Oblati admittuntur, eorum habitus, & priuilegia proponuntur.pag.73.num.6.
Obſtinatio,& eius pœnę,pag.141.num.3.
Officia in quolibet Monaſterio diſtribuenda, pag.148.1.num.1.& pag.148.2.num.3.
Officia cognominata communiter de tabula, pag.124.num.1.& pag.125.num.2.
Officium Diuinum quandc cantandum,quando verò recitandũ ſit,quique poſsint excuſari ab aſsiſtentia chori,& quibus temporibus, pag.106.num.1.& pag.108.num.2.& pag.109.num.2.
Oratio mẽtalis,eiuſque duratio,pag.111.num.1.
Ordines quando debeant concedi Monachis, & prærequiſita ad eorum exercitia,pag.73.nu.1.& pag.74.num.2.
Ordines prohibentur laycis,pag.71.num.2.
Ordo præcedendi in loco,& ſuccedendi in Præſidentia,pag.34.num.1,& pag.35.num.2.& pag.36.num.3.4.&5.
Ordo ſedendi in Capitulo Prouinciali, pag.12.num.4.& pag.4.num.3.

## P.

Paupertatis votum, pag.144, num.1.& pag.145. num.3.

Pecunia, eius cuſtodia, & diſpenſatio, pag. 75. num.2.

Pernoctare extra clauſtra non liceat Monachis, etiam hoſpitibus, abſque licentia Prælati, pag. 58 num.1,& pag.131.num.3.

Perturbatio pacis, huiuſque ſcandali ſupliciũ, pag.135.num.2.

Petitiones omnes pertinentes ad bonum regimen Monaſteriorum legantur in Capitulo, pag.17.num.8.

Pœna impedientium vota Capituli Generalis, pag.28.num,4.

Pœnę contra depeculatores vel fures, pag. 76. num. 4.

Pœnæ harum Conſtitutionum quando executioni mandentur, pag.155.num.1.& pag 156. 1.num.2.& 156.2.num.3.& 4.

Prędicatores quãdo,& quomodo poſsint mutari de vna in alteram Prouinciam? pag 56.n.2

Prędicatores, eorum conditiones, & munera, pag 81.num.3.& 4.

Præ-

Prælati Monaſteriorum quas conditiones onera, & qualitates debeant habere? pag. 43. num. 1. & pag. 44. num. 2. & pag. 47. num. 6. & pag. 48. num. 7.
Preſidens in Capitulis tan Prouincialibus, quàm intermedijs, & in electionibus Abbatum, pag. 26. num. 1. & pag. 29. num. 1. & pag. 46. num. 5.
Prior ſiuè Præſidens ob mortem Abbatis habeat eandem authoritatem ac ille viuens haberet, pag. 46. num. 1. & in additionibus, num. 6.
Priuilegia Magiſtrorum Sacræ Theologiæ, pag. 89. num. 3.
Proceſſus à quo poſsint conſtrui? pag. 152. nu. 1.
Procuratores Generales Curiæ Romanę, & Regiæ, eorumque officia exemptiones, & qualitates, pag. 32. num. 1. & 2. & pag. 33. num. 3. & 4. & pag. 34. num. 5.
Procuratores Monaſteriorum, eorum officia, & obligationes, pag. 75. num. 1. & 2. & pag. 76. num. 3.
Profeſsio debet fieri à ſuſpiciente de inualiditate ſuæ profeſsionis, & qui ſciuerint tenentur denuntiare, pag. 9. num. 1. & pag. 10. num. 2.
Profeſsio, eiuſque requiſita, & conſecuta, pag. 68. num. 1. & pag. 69. nu. 2.

# Q.

Quando debeant legi hæ Conſtitutiones? pag. 158. num. 1.

# R.

Receptores Apoſtatæ, & fugitiui, pag. 134. nu. 4.
Recreationes honeſtæ quando, pag. 125. num. 1.
Recurſus ad Abbatem Generalem, eius Vicariũ, & Abbatem Prouincialem abſque illorum licentia Monachis prohibetur, pag. 59. num. 2.
Reelectio Diffinitorum interdicitur in Capitulo Prouinciali, ſed non iam præterito, pag. 25. num. 2.
Refectorium, & condimenta in eo miniſtranda, pag. 122. num. 3. & pag. 123. num. 4.
Regens Studiorum, & eius officium, pag 82. nu. 2.
Reſeruatio caſuum, pag. 113. num. 1.
Retardatio literarum ſuperiorum, & huius delicti pœnæ, & ſuplicium, pag. 137. num. 5.
Reuerentia Prælatis minimè deperdatur; pag 141. num. 2.

# S.

Salue Regina quotidie canatur cum præcibus, & commemoratio S. P. N. Baſilij, pag. 105. num. 2.

Sche-

Schedulę debent legi alta voce in Capitulo Prouinciali,& ad quem finem, pag. 12. num. 4.
Schedulæ ſint impræſſæ, vel vna manu ſcriptæ, pag.13 num. 5.
Scholaſtici ſingulis annis examinentur, pag. 85. num. 5.
Scrutinia quomodo iteranda ſint in caſu confuſſionis in quacumque electione, pag. 15. nu. 6.
Secreta noſtræ Religionis, earumque perſonarum Zelari debent, pag. 126. num. 3.
Secretarius Prouinciæ, eius electio officium, & conditiones, pag. 30. nu. 1. 2. & 3. & p. 31. nu. 4.
Secretarius Vicarij Generalis, eius deſignatio, officium, & requiſita, pag. 101. num. 6.
Sermo ſiuè exhortatio ad Patres fiat in Capitulo à Præſidente, vel ab alio, pag. 2. num. 2.
Silētium quibus locis, & temporibus, p. 125. n. 1.
Socius Magiſtri Nouitiorum, & eius conditiones, pag. 60. num. 2.
Spolia defunctorum, eorumque diſtributio, pag. 94. n. 8 & pag. 95. nu. 9. & pag 96. nu. 10. 11. & 12. & pag. 97. num. 13. & in additionibus, n. 2.
Status Monaſterij, & inuentarium bonorum fideliter deferat Abbas ad Capitulum Prouinciale, pag. 7. num. 4.

Suffragia defunctorum, pag. 92. num. 2. & 3. & p. 94. n. 4. & 5. & p. 94. n. 6. & 7. & p. 97. n. 14.
Suppellectilia Monachorum, pag. 151. num. 2.
Suſtentatio congrua, & ſumptus Abbatis Prouincialis à quo, & quomodo debeant fieri, pag. 20. num. 3.

T.

Temperantia in verbis, pag. 126. num. 2. & 3.
Tẽpus quo debeat durare, & vacare officia Prouincialis Diffinitorum, & Abbatum, pag. 24. num. 1. & 2. & pag. 29. num. 1.
Tempus ſedis vacantis in caſu mortis cuiuſcũq; Prælati, pag. 49. num. 1. & pag. 50. num. 2.
Tempus durationis officij Priores, pag. 51. nu. 1.
Tempus quo debeant incipi, & terminari ſtudia, pag. 82. num. 1.
Teſtimonium falſum, eiuſque pœna, & ſupplicium, pag. 129. num. 6.
Teſtium nomina non reuelentur, pag. 152. n. 2.
Tituli Superiorum, & inferiorum, gag. 149. n. 1.
Tranſmutatio Capitulorum quando, & quomodo, à quoque Superiore, pag. 26. nu. 1.

V.

Venatio Monachis interdicitur, pag. 59. nu. 2.

Ven-

Venditiones prohibentur, pag. 78. num. 2.
Veſtimenta, eorum vſſus, formæ, & colores, pag. 146. num. 1. & 2.
Veſtimenta omnia Monachis à Prælato dentur, pag. 146. num. 1.
Vicarius Prouincialis quam authoritatem habeat, pag. 51. num. 6.
Vicarius Generalis eius officium deſignatio, & Poteſtas, pag. 98. num. 1. & 2. pag. 99. num. 3. & 4. & pag. 100. num. 5.
Vicario Generali, & omnibus itinerantibus ad Capitulum Prouinciale, & Diffinitorum ſumptus à Prouincia ſoluantur, etiam dum Capitulis aſsiſtunt, pag. 8. num. 5.
Vicarius Prouincialis in officio conſtitutus infra annum ante Capitulum Prouinciale habebit in eo vocem paſsiuam ad Prouincialatus officium, pag. 51. num. 6.
Vinum quomodo concedatur Monachis, pag. 121. num. 2.
Viſitationes à quibus, & quomodo debeāt fieri, pag. 37. nu. 1. & 2. & pag. 38. num. 3. & 4. & pag. 39. num. 5. & pag. 40. nu. 6. & 7. & pag. 43. num. 8. & 9. & pag. 151. num. 1.

Vio.

Violatio clauſuræ nocturna, pag.131. num.5.
Violentæ manus ſuadente diabolo contra aliquem, eiuſque delicti pœna, & ſuplicium, pag.136.num.3.
Vocem paſsiuam in electione Abbatis Prouincialis, quinam habeant. pag.4 num.3.
Vocem paſsiuam habentes in electione Diffinitorum qui ſunt, pag.5.num.5.
Vocales qui ius ferendi ſuffragium ad Capitulum Procinciale habẽt, qui nam ſint, p.3.n.2.
Vocales habentes vocem actiuam, & paſsiuam in Capitulis conuentualibus, qui ſint, pag.4. num.3. & pag.45.num.3 & 4. & pag.46.n.5.
Vocales Capituli Generalis, qui ſint, pag.27.n.3.
Vocalis mittendus ad Capitulum Prouinciale loco Abbatis legitimè impediti, quas cõditiones debet habere, & qui ſunt qui voto actiuo gaudent in dicta electione, pag.4.num.3.
Voti caſtitatis violatio, & eius pœnæ, pag.142. num.1.& pag.143.num.2.& 3.

Z.

Zelatores, eorum numerus, & qualitates, pag. 148. num.2.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE G...